






1581
Paterno










DE HVMORVM PVRGATIONE IN MORBORVM INITIIS TENTANDA. BERNARDINO Paterno Salonensi authore.

EIVSDEM TRACTATVS, QVOD cœna vberior prandio esse debeat ex antiquorum Medicorum decretis: etiam in catarrho.

Ex libris Antonii Charles doctoris medici Monsp.




SPIRAE
Apud Bernhardum Albinum,
M. D. LXXXI.

MAGNIFICIS CONSVLIBVS ET PRVDENTISSIMIS Senatoribus Inclytæ vrbis Spiræ. S.

ANnus iam agitur tertius Consules Magnifici & Senatores prudentißimi, ex quo in Vrbem hanc Vestram Veni. Indulgenter humanitate illa Vestra apud omnes etiam exteros testata receptus, Vt operis Typographicis officinam aperirem. Quod etsi hucusque mihi homini nimirum peregrino & ab omnibus subsidijs, quæ alijs domi inter suos abundè suppetunt destituto, non ita cesserit, Vt aut Vobis Dominis meis semper colēdißimis obsequij mei promptitudinem, aut Ciuibus clarißimæ huius Vrbis industriam meam, elegātiore aliquo excuso opusculo reipsa etiamnùm probàrim: in magnam tamen spem Venio, si quo cœpistis fauore deinceps me complecti non desinetis, & luculentiores in posterum & magis proficuas futuras operas meas, quas iniuria temporum patriæ meæ & communi multorum bonorum sorte interpolatas conseruauit Indulgentia Vestra. Initio autem facto, ab anni iam Vertentis ingressu (quem Ciuitati Vestræ Inclytæ Imperialis Iusticiæ sedi, & Virorum cùm doctißimorum tùm Clarißimorum domicilio, communisque hominum de fortunis suis laborantium quasi refugio, fœlicißimum & faustißimum precor) De initijs morborum curandis tractatum medicum nomini Vestro dedicare collibuit: quem Vos si animis fauentibus exceperitis, plurimum profectò non tentamina tantùm mea in hoc genere promouebitis, sed & quantum præsidij bonis omnibus in humanitate Vestra repositum sit palàm ostendetis. Valete Magnifici Coss. Prudentißimique Senatores.

Bernhardus Albinus
Typographus.

DE HVMORVM PVRGATIONE IN MORBORVM INITIIS tentanda ex Hippocratis & Galeni decretis Bernardino Paterno Salonensi Authore.



AEgrotantium corpora quo morbi tempore purgauerint, duo medicorum lumina, Hippocrates videlicet & Galenus, inter multa, quæ in arte medica nequaquam satis adhuc explicata sunt, id mihi omniũ perdifficilis, ac penè indissolubilis quæstionis esse videtur. Quã præstantissimi nostræ ætatis medici aliquando explicare aggressi non solùm varias ac inter se discrepantes sentẽtias, sed penitus contrarias protulerunt. Quidam enim nec Hippocratem neq; Galenum in morborum principijs vnquã purgasse (nisi turgerent humores) asseuerant. Alij verò contra mediocri quadã purgatione (quam minoratiuam appellant) id eos semper fecisse contendunt. Omnes autẽ tam enixe, validisq; adeò rationibus partes suas agunt: ut perarduum sit iudicare quinam eorum ad Hippocratis ac Galeni mentem propius acce-

dant. Quod quam noxium mortalibus ſit, quantumq; arti medicæ deroget vnusquiſq; facillime cognoſcere poteſt. Nam per deum immortalem, quid artem medicam inconſtantiæ magis atq; incertitudinis arguere poteſt, quàm præcellentium medicorum tam cõtraria decreta? Aegrotantibus verò quid noxium magis dici, aut excogitari poteſt, quam in ipſarum ſtatim curationum exordijs circa valida remedia, eorumq; rectum vſum medicos aberrare? Aedepol, cùm tam varia ſint, tamq; inter ſe pugnantia eorum decreta: propterea fieri nequit, ut omnes veram Hip. & Gal. mentem aſſequantur. Itaq; aut hos, aut illos ſemper aberrare neceſſum eſt. At ſi utraque ſecta ab ipſa veritate abhorreat, omnes ferme medici, qui hac ætate arti operam aliquam concedunt, peſsimè morborum curationes aggrediuntur: cùm omnes propè dixerim alteri dictarum ſectarum totis viribus inhæreant. Cùm igitur rei iſtius veritas humano generi ſummopere vtilis futura ſit, pulcherrimamq; habeat inuentionẽ, propterea nitendum à nobis eſt, veritatis amatores (vobis enim ſolis cupio vt contingat meos hoſſce labores ſuſcepiſſe) vt ipſam pro viribus perquiramus. Quod tametſi perarduũ videtur, cõmodè tamẽ a nobis fieri poterit

si postposito unius cuiusq; sectæ amore, in ueritatē ipsā recto tramite tēdere voluerimus. Quod ego nunc (absit arrogātia) facere aggredior. Nā omisso quocūq; animi affectu, in ipsam veritatē vt in optimum scopum respiciens quæ fuerit Hip. atq; Gal. de proposita quæstione sententia in lucem proferre decreui. Vobis autem meos hos labores imprimis dicatos volui, vt si quid non ita perfectè elaboratum, aut à recta veritatis via abhorrēs per me dictum fuerit, eo animo qui erga veritatem in vobis semper esse solet, id castigetis. Non enim talem, ac tātum virū me ipsum profiteor quin in multis me posse decipi credam. Valdè enim difficilè vt Gal. ait. est, vt qui homo sit, in multis non peccet. Peccare etenim humanum: probi autem uiri, iuxta Hesiodi sententiā, est recta monentibus obsequi. Quod me vobis semper facturū polliceor. Verū vt ad rem ipsam iam deueniamus, quid vtraq; secta pro suarum partium defensione afferat vt res ordine quodā clarius explicetur, ante omnia ad examen reuocare operepræcium existimauimus. Multi itaq; & me hercle non spernendi medicæ artis professores, in omnibus tùm diuturnis, tùm acutis morbis, et ipsorum quidam non solum in eorum principijs, sed etiam in incrementis, ac summis

morborum vigoribus mediocri quadam purgatione, qua peccantium in corpore humorum aliqua pars expurgetur, ægrotantes semper tentãt: idq; ab eis recta ratione fieri atq; iuxta Hip. & Gal. decreta contendunt: vt videlicet parte ea humorum Natura exonerata, reſiduum melius atq; facilius ſuperare valeat. Aduerſus quos grauiſſimi etiam medici inſurgunt: eoſq;, vt pote ab Hip. ac Gal. mente penitus alienos, atq; ab ipſa veritate prorſus abhorrentes, multis ac validis rationibus oppugnare nituntur. Atq; imprimis, inquiunt, quidnam optimis illis veræ medicinæ authoribus magis repugnat, quã iſtorum decretum? cum prima Aph. parte, multiſq; alijs in locis, quos longum eſſet recenſere, & Hip. & Gal. concocta medicamẽto purgatorio tẽtanda, nõ cruda neq; in principijs (modo nõ turgeant) clariſſime præcipiat. Tunc enim (*ait Gal.* quando ſcilicet concocti erunt humores) naturam etiam habebimus euacuationi adminiculantem: ſiquidem videtur, & ipſa poſt concoctiones humores diſcernere, & ſuperfluitates expellere: quo tempore fiunt iudicationes. *Verùm ſi humores turgeant, hoc eſt, ſi de membro ad membrum moueantur, ſuoq; motu ægrotantem infeſtent,*

tunc

tunc purgationis aliqua sese nobis offert indicatio: cum nullo indigeant humores ad exitum paratissimi & ad euacuationem properantes (vt Gal. verbis sexto de vulgaribus morbis vtar) nisi purgatorio medicamento, quod veluti manum præbens, eos ad aluũ ducat: ut quarta Aph. parte idem Gal. nos docuit. Id autem præsertim faciendum est, quando timor adest, ne ij qui per corpus vagantur humores in princeps aliquod membrum decumbant, sæuissimumq́ in animali morbum causent, quemadmodum eiusdem fuit Gal. sententia quarta Aph. parte, quam ex Antyli decretis Aetius quoq; tertio suorum de re medica librorum apertissime comprobauit. Verùm cùm rarò accidat humores turgere taliq́; motu moueri: propterea diuinus ille medicorum princeps Hip. prima Aph. parte, rarò in acutorũ morborum initijs purganda esse corpora præcipiebat, idq́; maxima cum præmeditatione faciendum. Quam sententiam explicans Gal. tam apertè horum decretum confutare videtur, vt mirum sit quomodo ij (si ea quæ ibi à Galeno scribuntur vnquam perspexerint) adhuc in sua opinione sint pertinaces. Ait enim. Nunc autem quod circa acutorum tantũ morborum, principia cõtingit aliquando vtiliter pur-

gare nos docet. Hip. Nā in longis morbis semper oportet expectare cōcoctionem: in acutis verò cùm turgēt ab initio possumus medicamentis purgātibus vti, & hoc ipsum cum multa cautione, & præmeditatione facere. *Hæc ille. Ex quibus sanè verbis luce clarius apparet eos valdè decipi: cum Gale. in diuturnis morbis ante purgationem, expectandā esse humorum concoctionem expressè asserat: in acutorum autem morborum initijs solummodo id concedat, quando humores turgēt. Quod maxima etiam cum cautione faciendum est, vt idem Galenus testatur: nempe obseruata corporis dispositione, nunquid scilicet paratum sit ad purgationem an secus.* Corpora enim vbi quispiam purgare vult, oportet fluida facere. *vt secunda Aphorismorum parte Hipp. scripsit. Corpus verò fluidum reddetur Galeno in eius sententiæ expositione teste, meatibus reclusis per quos humores attrahi debent, & attenuatis incisisq; tenacibus, & crassis humoribus. At boni ij, ac præstantissimi medici, non solùm in acutorum sed in diuturnorum etiam morborum initijs, vel quiescentibus humoribus, nulloq; modo in motum concitatis, sed membris impactis, nulla denique corporis præparatione*

facta nihilominus corpora purgare non verentur. Illud autem præter omnem rationem facientes, ea ægrotantibus inferunt nocumenta, quorum optimus ille senex, quarto de ratione victus in morbis acutis, his verbis meminit. Quicunque autem ea quæ inflamantur, statim morborum inter initia medicamento soluere conantur: ij ab intensa inflammataque parte nihil adimunt, non enim cedit, obsequiturque quæ adhuc cruda est affectio. Quæ verò morbo aduersa sunt & sana, absumuntur contabescuntque. Ducto autem ad imbecillitatem corpore, morbus superior euadit: qui vbi corpus vicerit, remedium non habet. *Hanc sententiam eius sectæ fautores aut præterierunt, aut eam vt pote ipsis maximè repugnantem despexêre. Si enim ipsi animum adhibuissent proculdubio tam erronea affirmare non perrexissent. Nam Hippocrates in præposita sententia, horum opinionem fermè cōsulto, damnare videtur: qui crudos humores, ac membris impactos purgare non timent. Cùm enim humores sint tales, propterea medicamento attrahente non cedunt violentáque fit eorum commotio.* Ex *hoc autem & membra*

tabescere, & virtutis robur dissolui necessum est. Verùm non hæc solum, crudos humores purgantes ægrotantibus inferunt nocumenta sed illa etiam quæ Galenus quarto de tuenda valetudine hac oratione resensuit. Deiectio enim inquit, in his tormina & rosiones creat, animique deliquia: cum eo quod nec notatu quippiam dignum educitur, quando crudi omnes humores pigri atque ad motum inepti propter crassitudinem frigiditatemque sunt. Quo fit, vt omnes etiam angustas vias obstruant, per quas id quod medicamentum deijcit, ferri ad aluum debeat: ob quam causam nec ipsi educentur, & alijs impedimento erunt. Id quod sanè Hippocrates illo oraculo præcauit, quo breuissimè præcipit concocta medicamento tentanda esse non cruda. *Euitabunt ne vnquam hæc incommoda qui partem crudorum humorum membris impactam purgant? Non certè. Quando pars illa quæ educit, tormina, rosiones, et animi deliquia ægrotanti affert: pars verò quæ in angustis meatibus firmatur. eos magis obstruit, cæterisq; est impedimento etiã ne educi poßint. Quæ omnia nocumenta ij euitarent, si parato prius*

corpore

corpore ac concoctis humoribus, ad purgationes accederent. Hip. itaque, & Galeno apertissimè ij repugnant: qui in morborum principiis medio cri ea purgatione (etiam quod humores non tur geant) ægrotantium corpora tentanda esse autumant His non minus inquiunt, reclamat arabum medicorum facillimè princeps Auicenna quarto canonis, qui febrium putridarum generalem curationẽ docens, hæc scripta reliquit. Et cùm administraueris canones prædictos in principio euẽtus, tũc oportet post illud, vt occuperis in digestione (sic enim voce non apposita vt opinor, Auicennæ interpres concoctionem appellauit) & euacuatione, quæ non est secundum semitam minorationis, & alleuiationis. *At quinam sunt hi canones, quos in febriũ putridarũ initijs Auicenna nobis seruare præcipit? Qui? Non alij profectò, quam ij quos ipsemet paulò superius his verbis retulit.* Deinde fac sequi phlebotomiam, solutionem vẽtris subtilem propriè si fuerit illic siccitas cum illis quæ sunt sicut aqua hordei, & alsiracost pauco, & aqua hordei cũ syrupo acetoso. Et si natura non fuerit lenis, adde in eo quod sit sicut syrupus violatus. Er sit vlti-

mitas

mitas lenificatio non fluxus ventris, aut ſolutio laborioſa. Et magis dilectum apud me eſt vſus clyſteris ſecundum vltimitatem, qua indigetur in virtute. *In his remedÿs quæ ab Auicenna hic referuntur ſuamne minoratiuam purgationem, quam tamen in putridarum febrium principÿs maximè tentandam arbitrantur, ÿ vnquã reperient? Non hercle, cùm eam ventris euacuationem ſolummodo præcipiat, qua ea expurgari ſolent, quæ in ventre, & inteſtinis continentur. Quæ quidem vẽtris potius lenitio quædam eſt quam humorum qui morbum efficiunt purgatio. Cùm itaq; inter ea quæ dicta ſunt, minoratiua horum purgatio haud reperiatur, & poſt eorum rectam adminiſtrationem præcipiat Auicenna, nos occupari non debere in aliqua minoratiua euacuatione: propterea iure optimo dicendum eſt illos ab eius quoq; mente lõge alienos. Quod quidem vel luce meridiana clarius, paulo inferius his etiam verbis demonſtrauit.* Si autem non eſt naturę poſſibile expellere illam ſuperfluitatẽ, niſi poſt horã, in qua ſit præparatio ad expellendum in vrina, tunc ſimiliter oportet vt ſciamus, quod arti euacuare humorem ante illam horam in qua apparet di-

geſtio

gestio in vrina est prohibitum, aut laboriosum, malum, & fortasse mouet, & non operatur vltime, et fortasse permiscet malignum cum bono. *Cum itaq; & ij partem eam humorum crudam expurgare conentur, quam natura recte operãs nunquam expelleret, propterea & purgatio laboriosa sequitur, & sæpissimè permixtio mali cum bono. Ab Auicennæ igitur decretis penitus sunt alieni. Hoc idem voluisse eundem Auicennam in febris pituitosæ periodicæ curatione certissimum est, dum ait. Et ego non diligo nisi expectationẽ digestionis. In quibus febribus hi, Auerois authoritate moti (quæ tamen in arte medica non est tanti æstimanda, quantùm in philosophia sibi arrogare videtur) purgationem illam potissimùm tentãdam censent. Quod si fortè antiquæ Auicennæ interpretationi quæ habet. Et ego non diligo expectationem digestionis, maiorem fidem adhibendam esse quàm nouæ dixerint, præter hoc quod coacti erunt fateri Auicennam Hippocr. ac Galeno contradicere, ipsummet sibiipsi contrarium efficient: cùm & in locis supra adductis ex capite de cura febriũ putridarum in generali, & eodem capite oppositum dicere videatur.* Ait enim. Et multotiens quidem con-

ceditur euacuatio phlegmatis & humoris crudi in hac hora: sed melius est vt expectetur complementũ digestionis. *Quæ quidem Auicennæ sententia eos maximè redarguit, qui in febrium quoq; earum augmentis, summisq; vigoribus purgare non verētur. Hip. itaq; Gal. Auicennæ cæterisq; planè bonis authoribus aduersantur, qui in morborum initijs, humores etiam non turgentes, purgare audent. At hi, contra validis non minus rationibus partes suas agunt: aliorumq; opinionem vt pote falsam, improbare nituntur. Atq; Hip. imprimis hi quoq; contra eam adducunt; qui secunda Apho. parte minoratiuam purgationē in morborum principijs apertissimè concedit, dicens.* Quum morbi inchoãt si quid videtur mouendũ moue: quũ verò consistunt ac vigent, melius est quiescere. Quod Gal. hanc sententiam explicans his verbis clarissimè nos docuit. Circa principia verò illorum morborum, in quibus speramus ægrotum cõualiturum, tentandum est maiora afferre remedia: *de quibus Hip. dixit*, Si quid videtur mouendum moue. Sunt autem hæc maximè venæ sectio, nonnunquam verò & purgatio: quorum neutrum oportet

morbo

morbo iam consistēte adhibere. Vt enim in libro de crisibus manifestauimus, concoctiones morborum tunc maximè fiūt. Vt igitur hæ citius eueniant, melius est circa principia euacuare: quo minorem iam factam materiam facilius natura possit concoquere. *Hæc Hippocratis & Galeni uerba nisi quam extorte inquiunt isti, exponantur, tam expresse humorum minoratiuam purgationem in morborum initijs fieri posse demostrant, vt mirum sit quomodo ij, qui se solos Hippocratis ac Galeni imitatores proffitentur, eam reprehendere audeant. Nam hic expressè Galenus, iuxta Hippocratis sententiam, in morborum principijs mediocri quadam purgatione corpus euacuandum esse præcipit, vt paucioribus in eo relictis humoribus eos facilius natura concoquere valeat, id profectò nemo nisi admodum proteruus inficias ire potest. Cur ergo aiunt, nunquam finem calūniandi nos, ij faciunt? Si ea quæ Galenus præcipit, atq; ob eandem causam exequimur: si eius sententiam integram, & inuiolatam seruamus, quid nobis molesti semper esse pergunt? Hæc illi. Verùm alij iterum in eos insurgunt: Hippocratisq; ac Gal. dictam sententiam contra ipsos, qui eam pro sui*

tutela

tutela adducebant, retorquere nituntur. Considerate inquiunt, ô optimi viri paulo diligentius Galeni verba. Quod si feceritis, id vobis proculdubiò apparebit, quod scilicet tantum abest vt ea contra nos sint, vt potius contrà eos, nobis maximè faueant. Quid enim ait? Sunt autem hæc videlicet remedia in morborum principijs adhibenda, maximè quidem venæ sectio, nonnunquam verò, & purgatio. O præstantißimi, duæ illæ dictiones, maximè, &, nonnunquam, in oratione positæ quidnam aliud significant, quàm naturam sæpißime exonerandam esse sanguinis mißione in morborum initijs, rarißimè autem purgationibus? At vos hoc semper facitis. Propterea meritò dicimus vestra decreta à Gal. mente longè aliena: cùm id quod ipse rarißimè expedire significauit, vos sæpißime tentetis. Verùm cùm hi Gal. sententiam contra eos quoq; esse aperte videant, ob id eam iuxta proprium decretum interpretari studēt. Non omnes tamen eandem loci illius expositionem afferunt, sed quidam Hip. & Gal. eam purgationem in morborum initijs admittere aiūt, quam prima etiam Aphorismorum parte ij concesserunt: dum videlicet turgent humores. Cùm autem raro contingat humores turgere,

propterea raro etiam in morborum principijs purgădum. Quod per illam dictionem, nõnunquam, significauit Galenus, raro indicans purgationes in initijs morborum adhibendas esse, quando scilicet turgent, quod quidem raro euenit. Alij vero ex huius sectæ autoribus non hăc, sed aliam illius sententiæ approbant expositionem. Quod videlicet Gal. de ea purgatione loquatur, qua illa solummodo quæ in ventre continentur educi solent. De qua Auicenna quarto canonis in verbis supra adductis ex capite de cura febrium putridarũ in generali locutus est. Non desunt etiam tertij, qui hac expositione reiecta, propter dictionem illam, purgationibus, qua vsus est Gal. alias perquirunt. Quod quidẽ (mea sententia) signum euidens est quod nemo illorum veritatem ipsam prope attingit. Nam veritas vndequaq; sibi viam parat, cũque inuenta est clarissime elucescit. Verum quantum ij aberrent in sequẽtibus demonstrabimus. Nunc enim ad Auicẽnam redeundũ est quem minorantium secta præcipuũ sui decreti defensorem profitetur. Nam is quarta fen. primi canonis de purgationibus tractans, post multa tandem ex Galeni decretis docet in morbis diuturnis concoctionem semper expectandam, priusquam

corpora purgemus: ſimiliter & in acutis, modo humores non turgeant. Quo facto, hæc Auicenna Galeni præcepta ferme limitans, ait. Et ſimiliter cùm non fuerimus ſecuri ꝙ virtus vſque ad maturitatis horam perduret euacuabimus eam poſtquam nobis cauerimus vt eius groſſitiem & ſubtilitatẽ ſciamus. *Ex quibus inquiunt ij, verbis, liquido conſtat Auicennam huiuſce fuiſſe opinionis: quod ſcilicet ſi periculum adſit, ne virtus ita à morbo opprimatur vt nõ poßit vſq; ad ſummũ eius vigorem durare, tunc purgandũ eſſe etiam ꝙ humores nullo modo turgerent. Quod longè etiam clarius quarto canonis his verbis oſtẽdit.* Et ſimiliter cum times victoriam humoris magis neceſſaria cautella eſt euacuatio. Et ſi non eſt degeſtus nõ moueas niſi in principio. *Iuxta itaq; Auicennæ præcepta crudis exiſtentibus humoribus quãuis non turgeant, purgandum eſt corpus, vt virtute exonerata melius atq; facilius ea morbo reſiſtat. Hoc in particularium morborum curatione ipſe etiammet Auicenna ſæpißimè obſeruauit. Nam (vt cæteros breuitatis cauſa omittã) quarta canonis in peſtilentiũ febriũ curatione, ſtatim ab earũ initijs purgationem præcipit hæc ſcribens.*

Sum-

Summa curationis earum est alleuiatio & illud cum phlebotomia & solutio ventris, & oportet vt incipiatur in ea ad euacuandum. Si autem materia vincens fuerit sanguinea fiat phlebotomia: & si fuerint alij humores euacuentur. *Illud idem in Alopeciæ curatione eũ obseruasse certissimum est. Nam quarto canonis de ea differens hunc in modum scribit.* Non est dubium quin rectificatio regiminis in ea sit euacuatio illius humoris facientis imprimis. *Et paulo inferius* Et incipiat prima res cum euacuatione corporis imprimis ab humore faciente cum medicinis educentibus ipsum aut cum phlebotomia, si materia exiguerit illud. *Quã quidem sententiam à Galeno sumpsit primo de compositione medicamentorum secũdum locos, qui de alopetiæ curatione hæc ait.* Quare in istis primũ totius corporis purgationem adhibebis aut pharmaco pituitam ducente exhibito: aut ꝙ bilẽ pallidã, aut nigram trahit: coniectura redundãtis humoris ex colore cutis facta. *Ego verò semper perhierã purgaui. Et quæ deinceps.* Ex qui*bus manifestissimè apparet Auicennæ præceptũ ex Gal. transumptũ esse. Cũ itaq; & Auicenna &*

Galenus conformes in morborũ initijs humores minimè turgentes purgent, qd prohibet aiũt ij, nos quoq; eorum exemplo, id efficere? His & cõsimilibus rationibus, & antiquorũ medicorum authoritatibus seipsos tutari nituntur: qui crudos ac quiescentes humores purgare consueuerunt. Atq; alterius sectæ rationes vnica solutione se diluere putant: nempe duplicẽ purgationẽ statuentes, vnã quidẽ minoratiuam: (ita enim eam appellant) qua pars quædam humorum solummodò è corpore ducitur: aliã uerò eradicatiuam, (sic enim eã vocant) qua tota humorũ prauorũ moles expurgatur. Harũ purgationũ priorem ante humorũ concoctionem tentari debere contendunt, postremam verò non. Quam Hip. & Gal. in locis contra eos per aliã sectam adductis ante concoctionem humorũ prohibuerunt. Hæc sunt boni veritatis cultores, quæ ab vtraq; medicorum secta pro suarũ partium defensione adduci solent. Quæ tantã fidem facere vidẽtur vt merito ancipites reddantur qui ea aliquando intelligunt: atq; in quam partem inclinent, pœnitus ignorent. Verùm quantum omnes à recta veritatis via aberrent, in sequenti huius operis parte luce clarius ostendemus. Hæc enim pars sufficientem magnitudinem adepta est.

Neote-

NEotericorum medicorum varias, ac pœnitus inter se discrepantes sententias, de humorum crudorum purgatione, ac rationes quibus propria decreta firmare nituntur, hucusque recensuimus. Nunc autem quantum omnes (eorum pace dictum sit) à veritate sint alieni aperiendum. Quod vt facilius fieri poßit, singula dictarum opinionum ad examen reuocemus: à minorantium secta sermonis exordium capientes. Inter eos verò qui huic sectæ inhærent, illi mihi maximè repræhensione digni videntur: q non solùm in morborum initijs, sed in eorũ quoque in crementis ac summis vigoribus ægrotantes purgare non verentur. Aduersus enim hos, primo est Hip. sententia secunda Aphor. parte, quæ hunc in modum se habet. Cum morbi inchoant si quid mouendum videtur moue; cùm verò consistunt ac vigent melius est quiescere. *Quam explicans Gal. horum opinionem apertißimè his verbis confutauit.* Circa initia verò illorum morborum, in quibus speramus ægrotum conualiturũ tentandum est maiora afferre remedia de quibus Hippocrates dixit, Si quid videtur mouendum moue, sunt autem hæc maximè quidem uenæ sectio, nonnunquam

vero & purgatio. *Quorũ nullum oportet morbo iam consistente adhibere. Cũ hic Gal. in summis morborum vigoribus & sanguinis mißionem & purgationem omnino prohibeat dicẽs, Quorum nullum oportet morbo iam consistente adhibere, quis per deum immortalem illorum decretum non damnabit? Nemo certe qui frugi sit vir. Eorum autem quæ in eo aphorismo dicta sunt reddens rationem Galenus in libro de optima secta ad Thrasybulum eos nõ minus redarguit, hoc scribens.* Cumq; dixit Hippocrates inchoantibus morbis si quid videtur mouendum moue: in summa enim vehementia quietẽ agere præstat, non à morbi tempore impulsus auxilia interdicit. Nouerat enim in morborum initijs facultatem valẽtem esse: propterea q; remediorum applicationi non obstare. Sed in morborum vehementia iam flacessens remediorum agitationem nõ sustinet. *Hæc ille. Ex quibus me hercle clarißimè constat hos ab eius atq; Hippocratis mente penitus alienos. In acutorum quoq; morborum incrementis ac summis vigoribus in quibus potißimum ÿ purgare non verentur Hip. prima Aphor. parte purgationes interdicere videtur dum ait.* In

acutis

acutis paſſionibus raro & in principijs medicinis purgantibus vti, & hoc cũ præmeditatione faciendum. Quod longè clarius Galenus ſecũdo in primum prorrhetici commentario his verbis nos docuit. Nullus etenim ita affectos purgare ingreditur, vt dictio oſtendit: cũ hoc quod procedente morbo fieri hæc commonſtret, & non circa principia, quando in acutis ſolum purgandi eſt occaſio. *Quid clarius contra eos dici aut excogitari poteſt? Aduerſus illos Auicenna quoq; eſt quarto canonis in febrium putridarum generali curatione, qui (vt in prima huius operis parte dictum eſt) præcipit poſtea quæ in febrium initijs ſunt adhibẽda, (quæ paulò ſuperius docuerat) nos in alio verſari non debere quam in humorum concoctione, & purgatione quæ non ſit (vt ipſe ait) ſecũdum ſemitam minorationis & alienationis. At ij, trãſacto etiam febrium putridarum principio nihilominus ægrotantes ſuis minoratiuis purgationibus tentare audent. Accedit ad hoc eiuſdem Auicennæ ſententia eodem capite ſcripta quæ illius decreti falſitatem apertiſſimè demonſtrat. Ait enim.* Et ſimiliter ſi times victoriã humoris magis neceſſaria cautela

est euacuatio. Et si non est digestus nõ moueas nisi in principio apud statũ verò non moueas aliquid. *Toto itaq; (vt aiunt) cælo ÿs à recta veritatis via aberrant. Eos igitur omittamus: ac quantopere alÿ simul cũ ÿs delinquãt in principÿs morborum crudos & quiescentes humores purgantes contemplemur. Atqui cũ omnes excretiones per aluum à natura factæ sine concoctionis indicÿs, vel nihil conferãt, vel officiant ægrotantibus: quid de ea sperandum quã isti sua illa minoratiua purgatione tentãt? Quod si illud quispiam ex eis negaret: audiat is parumper Gal. secuudo in primum prorrhetici comentario id clarissimè asserentem.* Nempe aluus (inquit) in quouis morbo profluẽs sine quidem concoctionis signis (quæ sæpius audiuisti) nihil iuuat: si verò implacidius operata fuerit præter id quod nihil iuuat noxam etiam affert. *Hoc idẽ magnus etiam Hip. secunda in primum de vulgaribus morbis parte his verbis nobis significauit.* Præterea quæ violenta erant statim opprimebant vel nihil proderant. *Quam sentẽtiam explicat Gal. illud apertissime affirmat dicens,* Qui procedunt morbi à cõcoctionis difficultate & copia crudorum humorum, nullum

nullum ab excretionibus consequuntur emolumentum. *Dixit enim multas violentas confestim opprimere vires: at quæ tales non sunt nihil iuuare. Hoc idem quarta Aphoris. parte, quarto de præsagatione ex pulsibus, & alijs plerisq; in locis Gal. voluisse certissimum est. Cùm itaq; alui excretiones à natura etiã factæ, ante humorum concoctionem aut nihil prosint aut ægrotantibus officiant: quid quæso de ea sperandum est, quam isti purgatorio medicamento procurant? Equidem cum rem ipsam diligẽti examine perpendo, nihil aliud horum facinus mihi videtur quàm naturã irritare: eamq́; vt ita dicam, cogere vt ante debitum tẽpus ac præter occasionem morbum iudicet. Quod Gal. ferme consulto reprehendens tertio de diebus decretorijs hæc scribit.* Præuenire autẽ crisim ꝙ Hip. προεκρηγνυσθαι (quasi dicas prærumpere) appellare cõsueuit malum est. Nam idonea simul cum his quæ lædunt excernuntur, fitq́; hoc natura incitata vel ab exteriore quodam, vel ab ijs quæ in ipso corpore detinẽtur. Extrinsecus igitur est medicus qui parum rectè quid fecerit *Quid? Medicus inquit. qui parum rectè quid fecerit, causa quandoq; est naturam incitans vt præter*

occasionem & ante debitum tempus humores excernat. At quonam magis ad id excitari potest quàm si purgatorio medicamento eam irritemus? Verùm inquiunt iј, natura parte quadã humorũ deonerata, quod supererit facilius vincet. Facilius vincet? cur non potius id ei accidet quod paulo inferius idem Gal. scriptũ reliquit? Considera mihi inquit, tale quid in natura accidisse quod hominibus cõtingit qui fortioribus quibusdam irritati pro necessitate impetum faciunt inuaduntq́; eos, & imparati pugnantes superantur. Quin etiã onus deponere quis volens interim, vel inuitus cum eo cõcidit. *Et quæ sequuntur. Qua oratione satis apertè eam naturæ exonerationem quam isti tantopere extollunt dãnare videtur. Nam & iј naturam medicamento purgatorio irritantes, eam cogũt vt intempestiuè humores excernat. Eam itaq; exonerare volentes simul cum onere præcipitem dant. Eo enim incitata medicamento, vnà cũ prauis bona etiam excernens simul cũ onere corruit. Præterea cum humores quiescunt eos ignorare certissimum est, in quem partem inclinationem habeãt ad superiora ne, an ad inferiora? per quam igitur partem expurgare pergent? Verũ hoc tam*

quam

quã leue prætermittatur, illud certè prætereundum non est, q motu qui in purgatione contingit concoctionem impediunt. Nam cum natura optimè concoquat humores quiescente corpore, quis vnquam duditare potest eam à concoctione distrahi, vi purgatorij medicamenti commoto corpore: ipsaq́, vt ita dicam, fracta? Quod animaduertens Hippocrates quarto de ratione victus in morbis acutis hanc sententiã protulit.
Corpus quieti permitere, & æqualiter cõtegere oportet. Mulsamq́; aquosam, & ptisanæ cremorem sorbendum dabis. Ventrem ab initio clystere duces: sed medicamenta purgãtia nõ admouebis. Nempe si ventrem moueris vrina non maturabitur: febrisq́; citra tum sudorem tum iudicationem in lõgius protrahetur tempus. Hæc Hip. *Quorum rationem assignans Galen. hæc inquit.* Preterea & neq; violenter excalefacere, neq; refrigerare, sed lenire mulcereq́; quibus maximè indigent quæ concoquuntur maturanturq́;. Quod si hæc humorum concoctioni conferunt, purgationes contrariæ existunt. Nempe corpus vehementer mouentes frangunt. Tali siquidem virtute prædita sunt omnia-

quæ purgant medicamenta. Hæc eſt ergo cauſa, cur purgationes concoctionibus aduerſentur. *Cùm itaq; medicamenta omnia quæ purgant talis ſint naturæ vt corpus vehementer commoueant, & propter hoc concoctioni aduerſentur, quis per deum immortalem hos non reprehendet, qui ante humorum concoctionem ægrotantium corpora purgationibus tentãt: etiam quod ij nullo modo moueantur? Certè nemo qui ſanæ ſit mentis. Nam ob id & morbos tardius ſanari, & quandoq; inſalubres reddi diſtracta natura à concoctione, clariſſimum eſt. Accedit ad hæc contra hos eiuſdem Galeni præceptum quarto de ratione victus in morbis acutis: quod ſententiam Hippocratis dicentem.* quibus principio vrinę & nebuloſę & craſſe exiſtunt hos annuentibus cæteris purgare oportet, explicans his verbis nobis tradidit. Siue ijs quæ in ante dicta oratione relata ſunt hæc cõiungit, ſiue nõ quod ex ipſis vtile quis habere comune poteſt quod ſcilicet corporis purgationem prorſus vitare oporteat cum in humoribus adeſt cruditas manifeſtauit, inquiens vrinæ tenues, tanquam craſſæ concoctionis notas habeant. *Non ſolùm igitur eradicatiuæ*

purga

purgationes vitandæ sunt crudis existentibus humoribus, sed etiam minoratiuæ vt eorũ verbis vtar: cùm in præposita oratione Gal. prorsus interdicat purgationes, quando in humoribus adest cruditas. Hocq; potissimum faciendum quando vnà cum humorum cruditate vehemẽs quoq; febris ægrotãtes infestat. Quod Hip. in lib. de purgatorijs medicamentis apertissime nos docuit, dicens. Quicunq; sanè validis febribus corripiuntur his vsq; ad remissionem medicamenta purgatoria, ne dato. Sin id nolis saltem ne citra quartumdecimum diem. Et paulo inferius. Quamobrem purgatoria, medicamenta in febribus magnis ne ore summantur præcipimus. *In qua re quantopere minorantium secta peccet magis certum est quàm vt probationis vllius egeat. Eos itaque missos facientes vt potè ab Hip. & Gal. pœnitus alienos, alterius sectæ decreta ad examẽ reuocemus. Quid igitur eius authores inquiunt? In morborum initijs nisi turgeant humores nullo modo purgandum esse. At eos à veritate abhorrere imprimis ostẽdit Hippocratis consuetudo in curatione lateris doloris quam secundo de ratione victus in morbis acutis nobis tradit, dicens.*

Sin autem eas quæ ſunt ſub ſæpto tranſ-
uerſo partes dolor infeſtet, nullumq́; ad
clauiculam ſignum fecerit ventrem vel
nigro veratro vel peplio mollire oportet.
*In doloris itaq; lateris principio quando dolor
ad inferiores coſtas pertingit purgationem præ
cipit Hip. Non ergo ſemper ante corporis purga
tionem, ex eius decretis expectanda eſt humorũ
morbum cauſantium concoctio: ſed quandoque
etiam ꝙ humores nõ turgeant in morborũ prin
cipijs corpus purgandum. Rem autem ipſam ita
ſe habere Hip. ſententia paulò poſterius ſcripta
manifeſtiſsimè demonſtrat: quæ eiuſmodi eſt.*
Cæterum veratrum nigrum tum melius
tum iuuantius ad iudicationem quam pe
plium ventrem ſoluit. *Cùm Hip. veratro ni
gro expurget vt melior ſequatur iudicatio, pro-
pterea dicendum eſt eũ ante morbi concoctionẽ
purgare: & potiſsimum cũ id in principio late-
ris doloris faciat. Quod ſi quis negare non ve-
reatur: reſpiciat is parumper ſeriem verborum
Hippocratis & id ſibi luce clarius conſtabit.*
Nam de dolore lateris quando ad clauicu
lam pertingit prius loquens dicebat: ſed
ſiquidem dolor ad clauiculam pertinge-
rit, ant moleſta ſit vel brachio vel mãmæ
vel

vel partibus septo trãsuerso superioribus grauitas, internam cubiti venam secare expedit, & quæ sequuntur. *De dolore verò lateris qui partes infestat sub septo transuerso positas, sermonem habens ita inquit.* Si autem eas quæ sub septo transuerso sunt partes dolor infestet nullumq; ad clauiculam signum fecerit ventrem, vel nigro veratro, vel peplio mollire oportet. *Dictio, autem, in posteriori oratione posita quæ, vt ait Io. Grammaticus primo de generatione & corruptione, cui etiam consentit Gal. primo in librũ de fracturis commentario orationem nunquam omnino incipit: sed ante dictis alijs, subiungi consueuit) eam superiori cõiungere videtur: cum itaq; in superiori dictione præcipiens sanguinis missionem in dolore lateris faciendam id circa principia eius affectionis maximè imperet, propterea merito dicendum est Hip. quoq; in posteriore eodem tempore dolore ad inferiores costas pertingente purgationẽ præcipisse, & ante morbi cõcoctionem. Quod Gal. etiam in eius sentẽtiæ explanatione sentire visus est, hæc scribens.* Cõsiderare igitur hæc, atq; in memoriam tenere nos oportet: sed non perpetuo vti debemus, ad memoriã reuocãtes Aphor.

illum vbi dicitur, in acutis morbis rarò & in principijs purgantibus medicamentis est vtendum. Vbi igitur inquit, nō solùm acutus morbus fuerit cuiusmodi est pleuritis, verùm & cum febre vehementissima multò magis vitāda est purgantis medicamenti administratio: atq; per sectionem venæ vacuandum magis, etiam si ad Hypocondrium dolor finiatur. *Frustra hic Galenus Hippocratis præceptū (vt ita dicam) limitasset: Aphorismumq́; adduxisset dicentem, in acutis morbis rarò & in principijs medicinis purgantibus est vtēdum, nisi Hip. in lateris doloris principio purgandum præcipisset. Præterea non rectè commutasset purgationem quam Hip. concessit, in sanguinis missionē, cùm hæc post prauorum humorum concoctionem in morbis haud administranda sit. Itaq; dicēdum est Gal. eo tempore purgationem præcipere quo Hip. purgandum censet. Illud autem ante cococtionem humorum morborum causantium faciendum. Igitur quandoq; etiā purgandum priusquam humores qui morborum sunt causæ cōcoquantur. Quod tamen isti nullo modo tentandum existimāt. At forte (quod multos eorum facere intelligo) tūc humores turgere cōtendēt:*

duplexq́;

duplexq́ esse turgentiũ humorũ genus: vnum quidem quando huc & illuc per corpus vagantur nullamq́ sedem determinatam inuadunt: aliud verò quando ij ad vnum locum feruntur, qui tamen excretioni idoneus sit. Quod in lateris dolore, quãdo is ad septem transuersum pertingit, potissimum accidit. Non enim tunc humores turgere dicuntur quia huc & illuc incerto motu per corpus ferantur: sed quoniã eorum motus ad locum inclinationẽ habet: qui excretioni accommodatus est. Hoc multi ex eius sectæ authoribus pro sui defensione dicere solent, idq́ ex eiusdem Galeni verbis confirmare nituntur, quæ octauo de compositione medicamentorum secundum locos ab eo scripta sunt dum Themisonis hieram exponit. Inquit enim. Concoctis medicandum rectè scripsit Hip. non crudis neq; per initia nisi turgeant, hoc est, nisi motus ad excretionem irritet. Ecce aiunt ij, quod Gal. turgere humores dicit quando ad locum excretioni accomodatum mouẽtur. Cùm ergo Hip. eo in morbo respiceret humores ad inferiores costas inclinationem habere: & ex consequenti moueri versus locum excretioni commodum, eaq́ ratione turgere, propterea tunc purgandum censuit. Hæc illi. Sed (eorum pace,)

dixerim ab Hip. ac Gal. mente eos longè aberrare. Atq; imprimis, si id q̃ isti asserunt verum esset iure optimo Gal. foret damnandus qui sententiam eam Hip. fermè limitãs in memoriam reuocauit Aphorismum dicentem. In acutis morbis rarò & in principijs medicamentis purgantibus est vtendum. *Nam quispiã meritò dicere posset: ô præstãtissime, cùm humores turgeant, in lateris dolore (quando is ad septum transuersum pertingit:) quid itaq; prohibet etiam quod morbus sit acutus purgare? Nõne vt tu etiam in Aphor. fateris, quando humores turgent in acutis quoq; morbis purgare nobis licet? Quod cùm sit: cur itaq; sanguinis missionẽ purgationi præponis? Præterea iudicium Galeni destruunt qui talia affirmant cùm prima Aphor. parte, & quarta, primo de crisibus, sexto de vulgaribus morbis, & vbiq; asserat dictionem hãc turgere, ab animalibus ad coitum concitatis transumptam esse. Vt enim ea titillata atq; impulsa à vehementi coitus desiderio, loco stare nesciunt: sed huc & illuc concitata mouentur, ita & humores aliquãdo in morborum principijs vehementiore motu ab vna parte in aliam feruntur: suoq; transfluxu de vno membro ad aliud ægrotantem infestant mouentes*

titil-

titillantes, & quiescere non permittentes: cùm & ipsi pariter moueantur & transfluant. Cùm itaq; hæc sic se habeant, quis vnquam rectà aliqua ratione dicere poterit, humores, qui ad locum expulsionis mouentur, turgere? Nemo certè si rectè Gal. dictionis illius etymologiam nouit. At forte quispiam eorum dicet aliud hoc esse turgẽtium humorum genus. Verùm qua ratione turgentes vocantur? Aut cur Gal. de hoc turgentium humorum genere in Aphor. nõ meminit? Huius rei causam vllam probabilem ij afferre nequeunt: cum nulla adsit. Illud igitur turgere quod isti immaginati sunt, purum est eorum figmentum: nec illius vnquam meminit Gal. Nec id quod adducunt ex octauo de compositione medicamentorum secundum locos fidem vllam facit: cùm sententiam eam quam pro suæ opinionis tutela afferunt nullo modo intelligãt. Quod ut demonstrare poßimus eam repetamus ac ipsam parumper melius contemplemur. Concoctis (ait) medicandum rectè scripsit Hip. Nõ crudis, neq; per initia nisi turgeant: hoc est, nisi motus ad excretionem irritet. *Huc usq; vt opinor, solummodo ij legerunt, qui asserunt turgentes humores vocari quando mouentur ad locum excretioni accommodatum: hoc*

enim modo exponunt id q̄ in oratione dicitur, nisi motus ad excretionē irritet. At res longe secus se habet. Nā moueri ad excretionē humores dixit, cū turgēt, hoc est, ad euacuationē pperare. Humores turgētes appelātur quādo ad exitū paratissimi sunt, & ad euacuationē properāt vt 6. de vulgaribus morbis testatur Gal. Verùm & si tales sunt non tamē mouentur ad sedem determinatam qua exerni cōmode poßint, sed huc & illuc quærentes viam per quam excernantur, per corpus feruntur: nequeunte scilicet natura ob eorum prauitatem & molestiam quam ei inferunt, dirigere illos ad loca excretioni ac commodata. Et propterea post dictam orationem statim subdebat Gal. Et nōdum vllam habet motus scilicet ad vnam partem inclinationem firmam, stationēq;. *Quomodo igitur humores moti ad locum expulsionis turgentes dici possunt si turgentes humores non mouētur ad sedem determinatam? nisi forte dictionem, &, pro, aut. Galenum sumpsiße dicant: vt de duplici eo turgētium humorum genere locutus sit. Quod quàm rectum: quàmq; consuetudini scribendi Galeni conueniat vnusquisq; vel modice in eius libris versatus facillimè cognoscet. Ad hæc dum dolor lateris ad iugulum pertingit, cū*

humo-

humores moueatur versus os (locũ sanè excretioni valdè accommodatum) cur itaq; turgentes non appellabuntur? Quod quidē longe probabilius diceretur, cum maior sit affinitas inter costas superiores & os, quàm inter inferiores & intestina? Aut si & ij turgent, quàm igitur ob rem Hip. per superiora non purgat? Sed ne contētiose cum eis rem agere velle videamur ipsis parumper condonemus, eos etiam humores turgentes appellari, qui ad loca excretioni accōmodata mouentur. Quid tum? Erunt ne propterea humores ad inferiores costas lati turgētes? Quis enim quæso est hic locus expulsionis, ad quē uere eos tunc moueri dicere valeamus? Nūquid intestina? cum Hip. per aluum purget. Verum cum inter costas inferiores & intestina ea non sit affinitas, vt humores qui ad membranam costas succingentem è venis confluunt, dici possint ad intestina vt ad loca expulsioni accommodata, ferri: propterea neq; illud eos vnquam dicturos existimo. Quippe qui non ignorant per maximam ac longissimam viam, quæ pectus infestant ad aluum ferri: eaq; plurimum, per pulmonem tussi excerni. Humores igitur in lateris dolore, qui ad septum transuersum pertingit, ad locum expulsioni idoneum non mouentur.

Nisi fortè dicamus eos moueri ad concauitatẽ pectoris, vt ad locum per quem facilè excerni possunt. Cur ergo Hippocrates excretionem per aluum tentauit? Quid ad hoc respondere ij valeant, certè non video. Fortè dicent, ob id humores tunc versus intestina moueri quia ad inferiora ferũtur: intestina uerò infra situata sunt. Sed cur ò optimi logici à pari dicere non poterimus, quando dextera pars pectoris, affecta est, humores ad vias vrinæ ferri, quæ inferius etiã situatæ sunt? Quod longè probabilius affirmabitur: quando gibba Iecoris pars (per quam facilis est ad vias vrinæ transitus) costis inferioribus coniunctissima est. verùm ne diutius quam par sit, in re planè falsissima uersemur: si ipsum Hip. si Galenum (non tantùm dicam semel, sed sæpissimè) in morborum initijs, non turgentibus humoribus, neq; motis ad loca excretioni apta, purgantem ante morbi concoctionem reperiemus: quid ij, tandem dicent? Hippo. itaq; secundo de fracturis docens qua ratione procuranda sit sanguinis suppuratio: illius nempe, qui fracto calce, è venis disruptis in adiacentibus partibus colligitur: hæc de eorum purgatione qui taliter affecti sunt, scribit. Melius aũt est, vt veratri potionẽ aut eodẽ aut postero die exhibeamus

amus ac 3. post die soluamus: & rursus deligemus. *Quod Gal. paulo inferius, in alterius sententiæ expositione, ferme explicans ait.* Non supurat autem sanguis cum inflãmatio magna superuenit aut ex prauitate delegationis, aut ex humorum malignitate, & multitudine, quam ipse quidem exinanitione per medicamẽta, nos sanguinis missione emendamus. *Hip. igitur ut sanguis extra venas in partibus calci adiacentibus collectus, melius suppuret: eo tempore purgare consuenit, quo Gal. sanguinem mittebat: ante itaq; morbi concoctionem. Hoc idem quarto de articulis eundem Hip. fecisse comperimus. Nam præcipiens, ne tibiæ ossa luxata, cum exterius apparent reponantur: atq; eius præcepti causam exponens tandem post multa hæc autem inquit.* Sed neq; veratrũ mihi videtur & eodem die exhibitum & rursus epotum præsidio futurum. *Hæc certè frustra ab Hip. dicta fuissent, nisi ipse credidisset veratrum nisi ossa reposita sint, eodem die epotum, pro futurum. In morborum ergo principijs quandoq; purgauit Hip. etiam quod humores non turgerent, nec ad locum excretioni accommodatum implerentur. Quod in libro quoq; de vlceribus illum fe-*

cisse, eius sententia satis apertè demonstrat. Ait enim. In omni vlcere cui erysipelas superuenit purgari corpus oportet, qua parte maximè vlseri conducit, siue id per superna, siue per inferna. *Sed erysipelas vlceri superuenire nequit, pure optime concocto. prius igitur quam morbus concoctus sit, purgandum præcipit Hip. in erysipelatis, vlceri superuenientis, principio. In anginæ quoq; principio Galenũ quandoq; purgasse ex eius verbis acutis scriptis,* liquido apparet. Inquit enim cum itaquæ in faucium venis tales impacti fuerint humores, pars in tumorem attollitur veluti gutur ex alijs, tanquam sanè guturis quã faucium multo stritiores sint venæ. Corpus autem vacare excrementis debet: et non plethoricum esse, geminam ob causam nempe tum ob eam quæ à vacuatione est reuulsionem, tum quod vacuato corpore, cum à parte affecta quod influit expellimus, id facilius consentit: nihilq; si qualido aliquo euaporare volueris, à corpore ipso parti calefactę mittetur. Corpus igitur secta vena euacuare oportet, & purgatione, & clysteribus. *Hic Gal. eos purgandos censet, qui angina tentantur: & propter*

reuul-

reuulsionem, quæ sequitur corporis euacuationē & vt repellentibus medicamentis fluentes humores magis consentiant. At hæc non nisi in anginæ principio tentanda sunt, vt ipsemet vbiq; testatur, & non postquam morbus concoctus est igitur ante morbi concoctionem in angina purgare corpus nobis licebit. Quod quidem 6. etiam de compositione medicamentorum secundum lo locos his verbis repetit. Verùm nunc adeò nihil opus habemus eiusmodi determinationibus. Sic enim nos vbi ad memoriā reuocauerimus quomodo totum corpus præparare ad curationem affectuum circa quamcunq; partem consistentium oporteat, ad institutum ꝓgrediemur. Etenim venæ sectione vtimur & purgatione, & clysteribus, & inedia, vbi totum corpus apparuerit aut multitudine humorum refertum, aut eorundem malitia vitiatum. Si verò neutrum eorū adsit, statim ad curationem per remedia localia perueniemus. *Ante itaq; repellentium medicamentorum adhibitionem, hic quoq; Gal. purgandum præcipit. Hæc autem non nisi ante morbi concoctionem inflammatæ parti applicari debent, igitur priusquam concoctus sit morbus (etiā quod*

humores nullo modo turgeant) corpus purgare nobis concessum est. Quod tamen isti omnino negant. Hæmicraneæ etiam curationem secundo eiusdem libri docens Gal. ante localium (vt ita dicam) medicamentorum administrationem, aut purgationem, aut sanguinis missionem tentare videtur. Quapropter (inquit) vbi quis hæmicraneam curare aggreditur, prius quali purgatione aut sanguinis missione æger opus habeat consideret, priusquam scilicet localia medicamenda capiti applicet: *vt ex sequentibus verbis clarissimum est. Hoc idem quarto etiam illius libri, in curandis fluxionibus quæ oculos infestant Galenum voluisse satis constat. Verùm sexto, remedia Archigenis ad inflammatos gurguliones referens, tam apertè id asserit vt nemo vlterius hac de re dubitare queat. Quid enim ait?* Eis verò qui suffocantur picem & nitrum cum aqua in potu præbe: nō possum mihi persuadere qua ratione sit dictum. Imò neq; ex præceptoribus aliquem, neque alium vllum eo vtentem vidi, neq; etiam ipse in vsum sumere tentaui. At verò venam secare his qui suffocantur, & eluere forti, atq; acri clysteri, & purgatoria exhibere gra-

tia

tia euacuandi vniuersum corpus, & transferendi infra humorum momētum, qui ad affectas partes feruntur, rationabile est & multa experientia iudicatum, & cognitum. *Purgat hic Gal. non solùm euacuandi corporis gratia, sed etiam reuellādi. Quod quidem concoctis humoribus in inflammatione contentis minimè expedit. In libro quoq; de atra bile idem Gal. horum decreto maximè aduersatur, hæc inquiens.* Cæterū de atra bile quæ longa experientia mihi certè cognita cōpertaq; sunt, nunc addam: sanè pro futura ijs qui medicæ arti non sophisticis sermonibus, sed operibus student. Omnes enim quotquot ex melāchólico humore fiunt affectus statim inter initia strenue purgans, crescere prohibebis, vel vsq; ad cancros. *Quid clarius contra hos dici aut excogitari potest? Cùm id quod isti tā audacter damnant Galenus apertissimè laudat? Sed quid in his diutius moror, cùm Gal. 13. methodi medendi in inflammationibus quæ adhuc fiunt clarissimè purgationem concedat.* Siquidem *(ais)* iam febricitet æger, nec excercitatione euacuatione euacuare exuperātiam licet, nec vnctione quæ excalefaciat, sed nec

multa frictione, nec balneo: ſed ſanguinis miſſione vnà cum inedia, vel purgatione aliqua. *Quod in oculorum inflammationibus ſe obſeruaſſe paulò inferius teſtatur, hæc ſcribēs.* Siquidem ex his quibus oculi tentari inflammatione cœperant: nonnullos ſola purgatione per aluum vno die ſanatos vidiſti. *Ecce quàm apertè hic Galenus in principiis inflammationum ſe quandoq; purgaſſe teſtatur. Hoc idem in eryſipelatis curatione eum feciſſe, quæ ab illo 14. eiuſdem libri ſcribuntur, clariſſimè demonſtrat. Inquit enim.* At quoniam eryſipelas non quantitate modo affligit, ſed etiam ex vehementi incenſione qualitate ipſa cruciat, ampliorem refrigerationem quàm inflãmatio requirit. Nec tamen non periculoſa toti corpori eſt hęc euacuatio, propterea quod bilis interim ad aliquod princeps membrorum fertur. Quippe cùm ſi vel ſanguis ipſe abundet, haud tutum ſit ex minoris notæ membris fluxionem eius repellere. Tanquam igitur in illa poſt totius corporis euacuationem repellentibus auxilijs vſi ſumus, ita nunc quoq; faciemus. Sed pro ſanguinis miſſione medicamento quod bilem tra-

hat

hat purgantes, *Eo itaq; tempore purgat Gal. in erysipelatis curatione, quo sanguinem mittebat in inflammationibus: ante videlicet repellentium medicamentorum vsum: igitur priusquam morbus concoqueretur. Quod etiam in herpete miliari ibidem eum fecisse comperimus plurimisq; alijs in locis. Quæ cum ita se habeāt, ut ostensum est, propterea hanc etiam sectam ab Hip. ac Galeni mente longè alienam iudicandū est. Duæ itaq; præpositæ sanctæ ab ipsa veritate pœnitus deuiant, aduersus quas multa etiam alia, quæ pleniorem fidem facerent adduci possent, sed ea quæ adducta sunt sufficere arbitror, ad earum falsitatem ostendendam. In sequentibus enim nostram opinionem exponentes adhuc clarius harum errores detegemus: propterea ne pars hæc longior quàm iustum sit, reddatur, ei finem imponentes ad tertiam accedamus.*



CVm proposita quæstio, vera (vt opinor) ratione explicari nequeat, nisi prius diligenti examine perpensum fuerit: quidnam sit prauorum humorum concoctio, propterea opere precium facturũ me existimaui, si priusquàm eius dissolutionem aggrederer, id ex Hip. quoq; , ac Galeni decretis, explicare niterer. Verùm quoniam negocium hoc, non minus medicos huius ætatis turbauit, quàm id quod primò à nobis intentum est, ob id in hoc etiam absoluendo (vt in vtrisq; eundem ordinem seruarem) ab aliorum decretis exordiri decreui: atq; quantum omnes aberrent, pariter demonstrare. Quidam itaq;, & certè non vulgares medici, prauorum humorum concoctionem nihil aliud arbitrantur esse, quàm crassorum ac tenacium incisionem attenuationemq; : tenuium verò incrassationem. Atq; ex his nonnulli, non solùm ante purgationem crassorum & tenacium humorum, eos incidendos & attenuandos existimant, sed etiam tenues priusquam purgentur, incrassandos esse. Verùm hi omnes ab Hip. & Galeni mente longè aberrant: & imprimis ij, qui tenues humores ante purgationem incrassandos censent. Nam ipsis primò aduersatur Hippocratis sententia, secunda Aphorismorum parte quæ talis est.

Cor-

Corpora cum quiſpiam purgare voluerit oportet fluida facere. *At quonammodo corpus fluidum fit? Eo ſanè quem Galenus ſententiam illam exponens, his verbis nos docuit.* Ego verò Hip. puto non minimum id, ſed aliquod maius hoc in loco nos docere voluiſſe: quod nos longa experientia didicimus ita ſe habere. Siquis enim extenuet & incidat craſſos atque tenaces humores qui in corpore ſunt, & meatus aperiat, per quos iſti tranſmittuntur, atque attrahuntur à medicamentis quæ vim purgatoriam habent, tunc purgatio in omnibus rectè procedit. *Fluidum itaque corpus redditur, inciſis & attenuatis craßis ac tenacibus humoribus, & meatibus reſeratis, per quos humores educi debent. Quod paulo inferius idem Galenus, longè clarius his etiam verbis demonſtrauit.* Siue (*enim ait*) per vomitum, ſiue per alui ſubductionem purgáre velis poſtquàm corpus fluidum eſſe, ceris, ita demum optimè purgabis. Erit autem fluidũ vt diximus, omnibus meatibus reſeratis, & humoribus inciſis & extenuatis, ſi quis fuerit humor in corpore craſſus & etiã glutinoſus. *Cùm igitur hæc*

sic se habeant, vt ostensum est: qua ratione moti præstantißimi alioquin medici, tenues humores, ante eorum purgationem incrassandos putent, planè nescio. An ignorant ab incrassantibus medicamentis, & meatus magis claudi, & humores minus obsequentes purgatorijs medicamentis reddi? Quanto enim humores tenuiores, tantò melius attractioni eorum medicamentorum cedere solent. Et propterea Galen. cui etiam Aetius ex Antyli sententia consentire videtur, in libro cuius inscriptio est: Quos quibusve medicamentis, & quando purgare conueniat: de crassorum ac tenuium humorum purgatione hæc præcipit. Inter morborum *(inquit)* initia serosos & tenues humores euacuabis: vbi crassi & tenaces fuerint quales suapte natura pituita est & atra bilis concoctionem expectabis. *Hip itaq; & Gal. apertißimè repugnant, qui tenues humores ante eorum purgationem incrassandos existimant. Ob id alij, qui rem ipsam maturius considerauerunt: & si cum eis conueniunt, quod prauorum humorum cōcoctio sit tenacium ac crassorum incisio & attenuatio: tenuium verò incrassatio, ab illis tamen in hoc dissentiunt, quod videlicet hi, ante tenuium humorem purgatio-*

nem

nem, eos haudquaquam incrassandos censent, sed id solummodo tentandum existimant, quãdo naturæ præsto esse uolumus, vt per latos meatus, & potißimum per tracheam arteriam tenues humores expellere poßit. Quod quidem in tenui catarrho maximè vsu venit, vt ex Galeno 3. in sextum de vulgaribus morbis commentario satis cõstat. Tunc enim tenuiũ humorum incrassatio procurari debet. Tentãda etiam nimirum est, quando vnà cum febre adsunt animi reliquia ob humorum magnã tenuitatem, quemadmodum ipse quoq; Gal. 12. methodi medendi fecisse videtur. Sed hi etiam, vnà cũ prioribus ab ipsa veritate lõgè aberrant. Atq; imprimis in eo peccant, quod nullam statuunt differentiam inter humorum cõcoctionem, & eorum præparationem, vt benè concoqui poßint. Nam & si craßi ac tenaces humores attenuationis incisionisq; egent vt melius concoquantur, tenues verò incrassationis, hæc tamẽ longè differunt à concoctionis (vt ita dicam) essentia, & quiditate: vt idem Gal. in lib. de constitutione artis medicæ his verbis nobis significauit. Qd in naturalem statum redire potest cõtrarijs alterare oportet, crassum & viscosum attenuando, tenue incrassando, & com-

muniter vtraque concoquendo. *Id ipsa quoq; rei natura ostendit. Nam cùm & bonorũ & prauorum humorum concoctio sit naturæ opus, (vt infra luce clarius demonstrabimus) attenuatio autem, & incrassatio humorum ab extrinsecis quoq; causis fieri poßit: quis itaq; concoctionem humorum bonorum & prauorum humorum concoctio enim naturæ opus ab eorum attenuatione, incisione, & incrassatione non seiunget? Nemo certè. Sed hoc tanquam leue peccatum omittamus. Illud verò prætereundum non est, quod videlicet credunt tenaciũ ac crassorum humorum incisionẽ & attenuationem, eorum esse concoctionem: cùm contra potius dicendum sit, nempe concoctionẽ incrassando procedere, & quæ concoquuntur temporis processu lentorem quendam acquirere. Quod summus peripateticorum Aristoteles 4. meteorologicorum tam apertè demonstrauit vt id nullus qui sanè sit rationis inficias ire poßit. Inquit enim.* Necesse autem quæ concoquuntur crassiora & calidiora esse. Tale enim afficit calidum melioris molis crassus & siccius. *At (inquiunt ÿ) veram esse Aristotelis sententiam in bonorum succorum concoctione, & in iuuatiuo (vt eorum verbis vtar) non au-*

tem

tem in nocuo, & in prauis humoribus, de quibus nunc est sermo. Sed qui talia asserunt ab Aristotelis mente prorsus aberrant. Nam paulo superius terminum concoctionis nos docens hæc ait. His autem in subiectam quandam formam finis est concoctionis: cum talè fuerit factum, & tantum humidum, aut assationem, aut elixationem passum, aut putrefactum, aut aliter quodammodo calefactum, tunc enim vtile est, & concoctum esse dicimus: sicut mustum, & quæ in tuberculis constat, cùm factum fuerit pus, & lachryma cùm facta fuerit lippitudo, similiter autem & alia. Accidit autem hoc pati omnibus cũ vincatur mareria, & humiditas. Hæc enim est quæ terminatur, ab ea quæ in natura, caliditate. Quamdiu enim insit in ipsa ratio, natura hæc est. Propter ꝙ & sanitatis signa quæ talia, & vrinę & seccessiones & totaliter superfluitates. Et dicuntur concocta, quia insinuant caliditatem propriam, obtinere humidam. *Hæc ille. Ex quibus luce clarius apparet ipsum non solùm loqui de concoctione bonorum, sed etiam prauorum succorum, & superfluitatum quæ è corpore animalium feruntur. Accedit*

ad hoc eiusdem Aristotelis sententia paulo inferius, vbi loquitur de maturatione, quæ id apertißimè demõstrat. Inquit enim. Est autem tuberculorum & pituitæ & talium maturatio à naturali calido inexistentis humiditatis cõcoctio. Impossibilè enim est terminare non obtinens. Ex spirituosis igitur aquosa, ex talibus autem terrestria, & ex tenuibus semper crassiora fiunt quæ maturantur omnia. *Quid clarius? De cruditatibus etiam paulo inferius pertractans de excretionibus ac prauis humoribus hunc in modum scribit.* Dicitur autem cruditas & maturatio multis modis. Vndè & vrinæ, & seccessiones, & catarrhi crudi dicuntur, propter eandem causam. Eo enim quod obtenta non sunt à caliditate neque constant cruda omnia appellantur. *At quæ obtinentur à caliditate melior is molis efficiuntur & craßiora (vt supra ex eodem Aristotele ostensum est) constat itaq; non solùm bonos, sed etiam prauuos succos dũ concoquuntur craßiores reddi. Huic decreto ipse quoq; Gal. vbique consentit. Nam in libro de totius morbi temporibus de ijs q̃ ex vlceribus feruntur hæc scribit.* Primùm enim sanies aquosæ incoctæ, &

tenues ex ijs defluunt: inde pauciores & crassiores: postea iam pus tenue: postremò minus quidem copia, sed crassius & album magis redditur. *Quæ itaq; concoquũtur etiam quod nocua sint crassiora redduntur. Quod paulo inferius in lippitudinibus quoque fieri demonstrat. Inquit enim.* Sic etiam in lippitudine, principio quidem copiosus humor, tenuis & incoctus plurimũ defluit, deindè paucior crasiorq; notam quandã concoctionis accipiens: postea temporis processu copia decrescente: consistentia verò ad crassitiem spectante, adeò concoctionis signa augentur, vt etiam palpebre dormientium conglutinentur. *De humoribus quoq; è capite delatis ibidem hæc scribit.* Concoctionis notæ iam sunt crassior & minus acris & modicus humor descendens. *Sed quid multis moror, cũ Gal. 2. in prognostica Hip. commentario id manifestißimè in omnibus fermè humoribus, & excrementis asserat, hæc scribens.* At cõcoctio non solùm crassiorem reddit vrinam sed etiam deiectionem quoties benè in ventre concoquatur, & screationem in pulmonia, & costali, atque etiam pituitam per destilla-

tiones & grauedines, necnon per lippitudinem, & pus in vlceribus. *Hoc idem 4. de ratione victus in morbis acutis adeò manifestè asserit vt mirari quandoq; cogar quomodo isti in re certissima lapsi sint.* Deiectiones *(inquit)* pro humoris, redundantia, liquidasque eas dixit nullo pacto cõcoctas exprimens. Cõcoctio enim omnia cogit incrassatq;. *Quod verò ea quæ à calore mutantur & concoquuntur temporis processu lentorem quendam acquirant testis est idem Gal. 3. in sextũ de vulgaribus morbis commentario, & primo de ratione victus in morbis acutis. Sileãt igitur qui crassorum ac tenacium humorum attenuationem, incisionemq; arbitrantur esse eorum concoctionem: cùm ab Aristotelis atq; Galeni decretis tantopere sint alieni. Propterea alij, hac opinione reiecta, prauorum humorum concoctionem fermè idem opinantur esse cũ bonorum succorum ac ciborum concoctione. Nam veluti ciborum ac bonorum succorum concoctio nihil est aliud quàm qualitatis adeptio: qua apti redduntur, vt animal nutrire poßint, vt Galeno placuit 3. facultatũ naturalium, ita (inquiũt ij) & prauorum humorum concoctio qualitatis eiusdem est assecutio. Et quemadmodum in priori.*

ri.

ri concoctione non omnis cibi aut bonorum succorum pars qualitatem eam recipit, sed ea solummodo quæ in animalis substantiam transmutari potest, pariformiter in prauorum humorum concoctione non tota eorum substantia apta redditur, vt nutrire poßit, sed solùm pars bona quæ parti praue admista reperitur. Prauis enim humoribus (ijs nempè qui concoctionem aliquam admittunt) semper aliquid boni inest, vt Gal. 1. Aphor. parte, & primo de vulgaribus morbis testari videtur. Huius partis ratione, praui humores concoqui dicuntur sicut etiā boni & cibaria, non autem ratione partis praua: quemadmodum neq; illa ratione excrementorum, quæ ab ipsis seiunguntur, nisi impropriè & latiore concoctionis significatione concocta appellantur, quia scilicet à parte bona, perfectè concocta, se iungūtur, ac indicia certißima sunt ꝙ naturæ actio circa partem bonam rectè proceßit. Quod Aristoteles quoq; 4. meteorologicorum sentire visus est, dum ait. Propter ꝙ & sanitatis signa quæ talia, & vrinę & seccessiones, & totaliter superfluitates. Et dicū-tur concocta quoniam manifestant caliditatem propriam humidum vincere. *Verùm tametsi concoctiones has in his quæ dicta*

ſunt conuenire hi exiſtimant, in nōnullis tamen eas etiam differre cenſent. Atq; imprimis in efficiente cauſa, cùm putēt bonorum ſuccorum, & ciborum concoctionem à calore naturali puro, ac ſyncero fieri, prauorum verò humorum, à calore medio inter naturalem & præter naturam: qui tamen vt naturalis vincit, humoreſq; transmutat. Vnde (vt in re ſignata magis verſemur, aiunt iſti) in inflammationibus naturalis calor ſyncerus nō ſeruatur, ſed à natura propria quodammodo degenerat, atq; in ignem cōuertitur. Is itaq; cum miſtus ſit ex calore naturali, & præter naturam, & vtriuſque particeps, propterea miſtam quoq; actionem efficere neceſſum eſt. Si itaq; vt naturalis vincat, tunc concoctio recte procedet: & humores in parte inflammata exiſtentes transmutabuntur in pus album, æquale, & minimum male olens. Si vero vt præter naturam is dominetur, tūc humores illi corrumpentur: ac quonto magis præualebit tanto crudiores reddentur: & tūc pus album nō generabitur, ſed cruentum potius, inæquale, & fœtidum. Hoc decretum (vt opinor) ex Auenzoaris nō ſpernendi ſanè authoris ſententia, hi ſumpſerunt primo theiſir. Differunt etiam hæ concoctiones (inquiunt) in alio. Nam in priori-

bus

bus totum id quod alteratur, aut saltem ipsius maior pars in substantiam alti transmutatur, & modicum superest excrementum: in nouissima verò contra, modicum est quod alit & multum excrementum. Cui rei ipse quoq; Gal. assentire videtur 2. in primum de vulgaribus morbis commentario, hæc de humorum concoctione scribens. Morbi enim concoctio maturatio quædam est eorum quæ præter naturam. Ipsa autem maturatio deductio quędā est eius ꝙ concoquitur in concoquentis substantiam. Ergo vbi corpus benè habet, cumq; ej ꝙ coquitur naturæ intercedit familiaritas cum concoquente mutatio fit, & alteratio totius cōcoquendæ materiæ, aut maximæ partis eius: minimū́q; superat semicocti. At verò quando præter naturam affecta sunt (ꝙ accidit quando fuerint à natura transmutantis & alterantis aliena) idꝙ assimilatur paucum est, semicoctum verò excrementum multū. *Et quæ deinceps. Ex quibus videtur Gal. horū decretum fermè statuere. Sed hi etiam, ab Hip. & Gal. mente longè sunt alieni. Atq; imprimis idꝙ de misto illo calore ex naturali & præter naturam asserunt, Gal. manifestissimè repugnat,*

qui morborum concoctiones calori naturali, ipsiq; naturæ semper attribuit: quæ aut idem est cum eo calore (iuxta Hippocratem) aut saltem vis quædam quæ ipso tanquam proprio instrumento, pro functionibus suis obeundis vtitur. Rem verò ita se habere vt dictum est apertissimè Gal. demonstrat: qui secundo in librum Hippocratis de fracturis commentario hunc in modum scribit. Sed hæc quidem exuccatis & sugillatis grauissima contingere non possunt, si à natura superatus sanguis mutetur: sicut fit in inflammationibus, quæ ad maturitatem perueniunt: siq; in pus conuertatur. Vt autem natura quæ in partibus sita est sanguini dominetur, duobus his studendum est: alteri ne inflammatione laborent partes (quod quomodo fiat superius dicimus) alteri vt interfusus sanguis discutiatur atq; elidatur. Quod paulo inferius, his etiam verbis confirmare videtur. Si autem (inquit) neq; ruborem, neque nigritudinem habeant, suppurare manifestum est. Rubor enim inflammationẽ indicat, nigritudo à natura neque suppurari neq; concoqui, sed sanguinem in coagulationem abijsse. Quod si etiam

extra

extra corpus effusus fuerit, immorāti contingit. Sed extra tamen nūquam amplius suppurat, in corpore si valida sit natura in pus conuertitur. *Ex his Gal. sentētijs, quantum hi aberrent qui medium calorem inter naturalem & præter naturam concoctionis prauorum humorum efficientem causam statuunt satis patere arbitror cum is nec natura sit, nec ipsius instrumentum, à qua tamen concoctiones prauorum humorum fieri dicebat Gal. in præpositis sententis. Verùm horum defectum longè clarius idem Galenus ostendit secundo in primum de vulgaribus morbis commētario, in secundæ tempestatis enarratione hæc inquiens.* At crudę erant & longo tēpore durabant: tum propter humiditatem, tum frigus: siquidem maturationem fluxiones cùm ab insito calore superantur, consequuntur. *Et paulo inferius dum ait.* Iam verò naturalis animantium calor si sit validior humores earum celerius cōcoquit: sin imbecillior vix longiore interuallo superior euadit, & vincere humores valet. Accedūt ad hæc eiusdem Galeni verba primo in 3. de vulgaribus morbis commentario quæ id manifestissimè cōprobant. Sunt autem ea

huiusmodi. Nam cùm generatur (inquit) pus dolores fiunt & febres quod natiuus calor humores tumoris authores immutet. *Alia sexcenta (vt ita dicã) adducere possem Galeni loca quibus id probaretur, tum ex libris methodi medendi, tum ex aphorismis, aliisq; eius libris. Sed quoniam ea quæ dicta sunt satis propositum commostrant, propterea breuitatis causa ea omitto. Verum cum calor innatus in spiritibus, sanguine, & membris solidis (Hip. authore) consistat, à quonam horum praui humores concocantur, nos Gal. docuit secundo in primum de vulgaribus morbis commentario, hæc inquiens.* Etenim protensa est per solida corpora natura. quæ est illorum virtus: cõ coctionemq; à solidis corporibus sanis, humores consecuntur. *A solidorum igitur membrorum insito calido prauis humores cõco quuntur. Oportet tamen præter hoc vt spiritus etiam ad vnguem caliditate symetri seruentur, vt Galenus quinto de simplicium medicamentorum facultatibus apertisime voluit. Sed quis non immerito quæret, cum in febribus pudridis maxime, calor innatus in igneum cõuertatur (vt sepißime dixit Gal.) quomodo itaq; in his morbis dicere poterimus ab innato calore*

puro

puro & sincero prauos humores concoqui? Huic quæstioni respondendum est, quod & si in his febribus calor naturalis homorum transmutatus est in igneum, cum iam calefacti sunt & accensi: membrorum tamen solidorum calor illæsus seruatur: quando scilicet membra solida nõ fuerint calefacta & accẽsa, sed solum incalescãt. Nam aliud est membra incalescere & incasuisse, vt tertio de præsagatione ex pulsibus notat Gal. sicut atiam est aliud ligna calefieri ab igne & ab eo accendi vt idem, octauo methodi, medendi nobis significauit. Quamuis itaq; in febribus putridis synceris membra solida incalescere dicimus ab ignea humorum caliditate: non tamen propterea eorum calor in igneum conuertitur. Sic autem ea posse humores concoquere quid prohibet? cum adhuc proprium calorem seruent. Quod si hæc etiam accendantur, eorumq́; calor in igneum conuertatur, tunc non amplius cõcoquere possunt: nisi prius in propriam symetriam reuertantur. Non enim tunc febris putris syncera est sed hectica coniuncta. Quod Gal. secundo in primum de uulgaribus morbis commentario post adductam sententiam his verbis significauit. Nam (inquit) si hæc ipsa, membra scilicet solida, egrotant, in abitu iam hic est

morbus:

morbus: ac nonnullos in extremum adducit discrimen. Curari autem prius nequit quàm suam virtutem solida ipsa recuperauerint corpora: quæ in symetria posita est calidi, frigidi, humidi & sicci. *Ex quibus mehercle verdis illud etiam adnotare debemus: quod grauiter peccant qui putridam febrem priusquam hecticam (quando duæ hæ febres cõiunctæ sunt) curare tentant: cùm putrescentes humores concoqui nequeant antequã à solidis membris praua illã caliditas remoueatur. Sed id obiter dictum sit & in transcursu. Ad rem itaq; redeuntes dicamus præpositæ sectæ fautores in efficiente concoctionis causa à Galeni mente penitus alienos. Hallucinantur etiam non minus in hoc quod credunt ciborum concoctionem à prauorum humorum concoctione differre, quoniam in ea multum sit quod transmutatur in animalis substantiam, modicum verò excrementum: in hac verò contra, modicum quod alat & multum excrementum. Nam & si in multis cibis id verum est, quod scilicet modicum habẽt excrementum & multum quod nutrit: in plerisque tamen res longè secus se habet. Radicula enim vt primo de facultatibus naturalibus ait Gale. multum habet excremẽtum, & modicum quod*

alat

alat. Similiter & olera omnia & fructus vt octauo methodi medendi, & in libris de alimentorum facultatibus, idem Galenus testatur; & non de his solùm: sed & multis etiam alijs ciborum generibus. In hoc itaq; hi etiam falsi sunt. Decipiuntur quoq; valdè in ipsa prauorum humorum concoctionis essentia, & quiditate explicanda. Quod vt facilius ostendamus paucis aperiendum quanam ratione boni humores crudi & cōcocti dicantur. Pituita itaq; ut ab ea exordiamur, priusquā à Iecore transmutetur, & in sanguinē conuertatur cruda, aut nō cocta (nihil enim nūc differt quouis nomine eā appelles) iure optimo dici potest. Postquam verò sanguinis perfectam formā adepta fuerit concocta meritò vocabitur. At biles non hoc modo se habēt, cū in sanguinem transmutari nequeant. Verùm cùm sequātur quodammodo sanguinis generationem, potius supercoctæ quàm coctæ merent appellari, vt Gal. quarto de tuenda valetudine nobis significare videtur. Quatuor igitur hæc consideremus pituitam, sanguinem, flauam & atram bilem. Ex his, pituita & cruda & cocta appellari potest: cruda antequam in sanguinem conuersa sit, cocta cùm perfectam sanguinis formam obtinuerit. At non amplius pituita

tunc vocatur sed sanguis. Hic vero nunquam crudus sed semper hoc modo concoctus dici debet: reliqua vero duo nec cruda nec cocta sed supercocta appellamus. Verum supponamus hæc putrescere, & febrem accendere, nonne & sanguis, & biles sicut pituita putrescens crudæ dicētur? Vtiq; cùm in morborum initijs, humores qui illorum sunt causæ semper crudi sint, vt primo de crisibus in lib. de totius morbi temporibus, & alibi sæpissimè dixit Gal. At putrescens pituita nunquid eadem ratione cruda dicitur, qua naturalis priusquam conuersa sit in sanguinem cruda dicebatur? Certum est quod non. Alius itaq; modus est cruditatis in quo cum cæteris putrescentibus humoribus conuenit. Verùm quidnam hoc est? Quid? Nihil aliud profectò q̃ à causis præter naturam obtineri. Quod putrescēti sanguinis pituitæ & vtriq; bili inest. Huic cruditatis significationi (quæ vt dictum est longè differt ab ea, qua pituitam naturalem crudā vocamus) concoctionem corespondere necessarium est, quæ longe sit etiam diuersa ab ea, qua sanguis concoctus dicitur, quando naturaliter dispositus est. Quam quidem rem non intelligētes grauissimi viri, multis ac maximis difficultatibus seipsos implicauerūt: atq; ab ipsius Gal.

mente

mente prorsus aberrarũt. Quàm vt adhuc clarius explicemus, quid cõcoctionis & cruditatis nomẽ apud Hip. & Gal. significet: quotúe modis res crudæ aut cõcoctæ ab ipsis dici solẽt aperiendum est. Primũ itaq; cõcoctionis nomen ab Hip. 6. de vulg. morbis vsurpatum est, pro quacunq; ad mediocre temperamentum, ac animãti conueniens adductione: siue ob mutationẽ ætatis, siue ex aliqua uel extrinseca causa ea prouenerit, idq; dũ ait. Morbi simul nutriti in senectute reliquunt & per concoctionem, & solutionem, & rarefactionem. Quod Gal. exponens, hæc, inquit. Igitur cum hic frigidorum meminerit: cõnstat & ipsum concedere quædam excalidis in seniori ætate posse dissolui, siquidem contrariorum cõtraria medicamenta sunt. Rari autem hi sunt, vt calidæ cephaleæ, & æterocraniæ vocauit dolores capitis, & renum calidi afectus, & articulares dolores, quicunque ex valdè calida causa oriuntur. Iste solutionis modus inter cõcoctiones reponitur: concoctione videlicet omnem ad mediocre tẽperamentũ adductionem significãte. *Eodem concoctionis significato vsus quoq; (vt opinor) Gal. est, & in aphorismorum com-*

mentarijs, & in libris de crisibus dum dixit: morbos ijs diuturniores qui intra 40. diem iudicantur non admodum solere per sudores terminari, neque omnino per excretiones sed per cōcoctionē, vel per abscessus. Et rursus dum quãdoque ait, à calore præter naturam morbos frigidos cōcoquit. Quod in lib. quoque de compositione medicamentorum secundum locos, & secūdum genera idem Gal. seruare videtur inquiens, castoreum, myrrham & huiusmodi medicamenta cōquere: quæ tamen longè calidiora sunt, q̃ ea quæ propriè concoctoria medicamenta appellantur: vt ex eiusdem Gal. dictis quinto de simpliciū medicamentorum facultatibus satis constat. Hic concoctionis modus à sermone nostro prorsus abigendus est: cum latius pateat quam is quem quærimus, prauisque humoribus nō solum in diuturnorum morborum, sed in acutorum etiã solutione, debetur. Aliud concoctionis significatū id est, de quo Gal. tertio facultatum naturaliū pertractat, quod propriè alimentis cōuenit. Est autē qualitatis adeptio qua id quod cōcoquitur ap tum redditur vt animans nutrire poßint. Hoc concoctionis modo, pars ea ciborum solummodo, & succorum quæ perfectè animali aßimilari potest concocta merito dicitur quando qua

litatem

litatem illā susceperit. Atq; is (vt iam diximus) ꝓpriißimus est concoctionis modus: cui cruditas quædā opponitur: nēpe qualitatis illius defectus cū aptitudine ad eam suscipiendā. Postrema concoctionis significatio est, naturæ uictoria contra causas præter naturam, rei in q̄ ipsa agit, inexistentes: earumq; debellatio. Quæ transmutationem ipsius rei sequitur: dū in substantiā animalis transmutatur, quantum tamen eius natura concedit, Qua concoctionis (ni fallor) significatione vtitur Gal.3. de ratione victus in morbis acutis dicens aquam quantūuis optimam tarde concoqui. Ea anim non quia tarde nutriat ob id tarde concoq dici potest, cū nullo modo alat vt Gal.4. Aph. parte.3. de ratione victus in morbis acutis.4. de vsu partiū corporis humani, & alibi testatur. Cui Auicenna etiam consentit 2. fen 1. canonis. Qua itaq; ratione Gal. aquam quantumuis optimam tarde concoq dixit? Non alia certe, q̄ eo quoniam in ventriculo tarde vincitur, & transmutatur. Aqua igitur ac cæterarū potionum ciborumq; partes aq̄æ postrema concoctionis significatione concoctæ merito dicentur quando à ventriculo & Iecore fuerint trāsmutatæ, ac animali quantum eorum natura admittit aßimilatæ, q̄quam nutrire nequeāt: sed postq̄

transmutatæ sunt, per renes ad uesicam ferantur, indeq́ue mictu excernantur, ut clarissima est Gal. sententia 4. de vsu partium corporis humani, & 2. de facultatibus naturalibus. Quo fit vt ij, maximè reprehendendi sint, qui vrinam in Iecore generari autumant: cũ tamen nihil aliud ea sit, quàm aqua quam bibimus, aut aliarum potionum & ciborũ aquæ partes. Sed de hoc latius, si quãdo dabitur occasio, differemus: nunc enim ad propositũ redeundũ est. Nouissima itaque concoctionis significatio non solũ urinis, sed omnibus etiã alijs excremẽtis, puri, ceterisq́ue prauis humoribus quãdo à natura uicti sunt cõuenit. Id tã apertè Gal. 2. de ratione vic. in morb. acut. ostẽdit, ut nemo nisi admodũ peruersus illud unquam negare possit. ait Nempe biliosa cruda apellauit, quoniã & excrementorum concoctionem appellat quando quã mutata nutrire non possunt, vt bilis vtraq;, & qui ιχῶρεσ dicuntur. Verũtamen quoniam & talia euincit natura, cõcocta quidem vocare consueuit Hip. excrementa huiusmodi, quæ à natura ipsa euicta sũt cruda verò quæ non sunt euicta. Ob id & pus in inflãmationibus quæ concoquuntur fieri ait, quamquam pars nulla ex pure alimoniam accipiat, veluti accipit ex crudis vocatis

humo-

humoribus,& pituita. Quæ reliquũ perfe
ctionis adepta, & prorsus cocta nutrire
possunt. Si igitur biliosorũ humorũ con-
coctio existit, vt sanguinis q in inflãmatio
ne est, in pus migrãtis: intelligentibus no
bis cõcoctionis nomen in suo vniuersalio
re significato. Est autem vniuersalius, cũ
natura causis fortior fuerit, ꝑmutaueritq́;
eas suo robore. quę igitur veluti in anima
carente corpore putrescũt, nihil ad ꝑmu-
tationem cõferente calore innato à cõco
ctionis ratione degenerãt. Hoc sanè cõtin
git aquosis his humiditatibus q̃ ꝑ vrinam
excernũtur: atq; ob id crudas vrinas cõcoq
dicimus, q̃q̃ corpus ex concoctis vrinis ali
non possit. Generali præterea hoc conco-
ctionis significato vtimur, cũ vel catarrhũ
vel coryzã, vel fluentes ex his humidita-
tes, vel easq́; ex oculis maneãt, aut crudas
aut cõcoctas esse dicimus. Ad hũc modũ
& bilem vel crudã, vel incoctã, vel coctam
esse pronũciamus. Cruda qdem flaua ad-
modũ est & acris, & malè olens: cocta aũt
& pallidior, & minimum malè olens. *Hæc
Gal. sententia si eam diligẽti examine ꝑpendere
voluerimus, luce ipsa clarius demõstrabit, non*

propterea prauos humores concoctos appellari, qa eorũ aliqua pars nutrire ualeat, nec quoniã à parte benè cõcocta seiuncti sint, ipsamq; indicẽt ꝑfecte fuisse transmutatã, vt isti arbitrãtur: sed ob id ꝙ natura causas p̃ter naturam ipsis inexistentes (eos transmutãdo) euicit suoq; robore debellauit. Quod 3. quoq; de crisibus idẽ etiã Gal. his verbis clarissimè nos docuit. vbi enim (ait) natura supior euasit, & debellauit. & restitit vehementiori morbi conatui, & q̃ infe stabãt oppressit (hoc enim est ipsa concoctio) fieri nõ potest, vt deinceps succũbat. Verũ illud animaduersione dignũ est ꝙ natura prauos humores nõ ita ad vnguem transmutat vt animal nutrire valeãt. Nam ob malã qualitatem, q̃ causæ p̃ter naturam ipsis iam impresserunt absolutã illam transmutationẽ, & assimilationẽ non admittunt, q̃ verè alimenta admittere uidentur. Cũ itaq; duæ hæ cõcoctiones ita se habeant, vt ostensum est: cumq; in prauis humoribus q concoctionẽ admittunt, semꝑ aliqd boni admistũ sit ꝑpterea ratione part is bonæ quando eã qualitatẽ susceperit qua nutrire animal possit, vere concocti dicentur & ꝓpriæ: nẽpe priori cõcoctionis significatione. At ratione partis prauæ nunq̃ hoc modo concocti dici poterunt, sed po

stremo

stremo concoctionis significato: hoc est, victi, ac debellati à natura, & quantũ fieri potest anima li aßimilari. Huic cõcoctioni, cruditas etiã q̃dã impropriè dicta opponitur: q̃ prauis quoq; humoribus ratione partis prauæ attribui potest: quãdo causæ p̃ter naturã eos inuadũt. Quæ si tã topere pcesserint, vt naturæ actioni p̃ualeant, continue humores crudiores dicẽtur: hoc est, naturæ magis rebelles & cõtumaces. Verũ (clarioris doctrinæ gratia) in re signata uersemur: atq; sanguinẽ ipsum extra ppria vasa delatũ in mẽbro aliquo contineri supponamus. Is cùm non sit in loco sibi conueniente, tandem necessarium est vt putrescat. Cùm igitur putredo eum euaserit tunc crudus dicetur quia quodammodo naturæ rebellis & cõtumax. Talis autem redditur à calore præter naturam, q ipsum naturæ aduersißimum facere intendit. At contra, mẽbrorum solidorum innatus calor illum in membri substãtiam transmutare & naturæ familiarißimum facere nititur. Hinc oritur inter hos duos calores pugna, altero nempe eo qui præter naturam tẽtare sanguinem naturæ maximè rebellem, & contumacem facere: reliquo verò ipsum ei familiarem, & membris similem reddere. At qui si putridus calor naturali præualeat, ipsiq; domi-

netur, tunc sanguis cōtinue crudior fiet: hoc est, naturæ magis aduersus, & contumax: & pus ex eo generabitur minimè album, inæquale & fœtidum: quale in vlceribus fieri sæpißime videmus. Quod si adhuc vlterius procedat calor ille putrefaciendo, tandē crudißimus, & malignißimus sanguis reddetur: nec amplius concoctionem admittet. Quin potius membri substantiā in quo continebitur putredo prahendet, idq́; in perniciem ducet. Quod in Gangrænis, alijsq́; cō similibus morbis euenire certißimum est. Verū si innatus calor solidorum mēbrorum validior putrescēte sit, sanguinem quem putredo inuaserat, transmutabit & membro in quo is cōtinebitur tantū aßimilabit quantum putrescentis substantiæ natura concedet. Et tunc substantiā quādam obtinebit, quæ ad membrorum solidorum substantiam propè accedet: & pus optimū, ac postrema concoctionis significatione, benè cōcoctum appellabitur. Id autē album erit, æquale, & minimum malè olens. Hoc Gal. I. in Hip. prognostica commentario 5. de simplicium medicamentorum facultatibus tam apertè nos docuit, vt de hoc dubitare, nemo qui sanè sit mentis, debeat. Illud idem quod de putrescēte sanguine dictum est, de alijs quoq; prauis humoribus vt
tales

tales sunt, dici debet, vt præposita sentẽtia Gal. ex 2. de ratione uictus in morbis acutis adducta clarißimè ostendit. Nam si à natura vincantur & transmutentur, debellenturq́; causæ præter naturam in eis existentes, tunc postrema concoctionis significatione concocti dici meritò poterunt, quãuis non sint apti nutrire. Nam quæ co modo concoquuntur non ex neceßitate nutriũt. At quamobrem concocti dicentur? Non mehercle quia à parte bona seiuncti sint, ut quidam aiunt, nec quia eam indicent benè concoctam vt alÿ (nisi id à posteriori & per viã signi dicatur. In qua re grauißimi etiã viri hallucinati sunt) sed quoniam à natura, eorum prauitas debellata est: & ipsi quantum eorum substantia admittit, facti sunt naturæ familiares & membris similes. Similiter de vrinis, ceterisq́; excremẽtis dicendum est. Ex horum autem transmutatione, ac concoctione, nobis postmodum indicatur caliditatem innatam obtinuisse humidum. Et hoc modo intelligenda est Aristotelis sententia 4. meteorologicorum, quæ in fauorem aliorum supra adducta est: quemadmodum aphrodisiensis Alexãder eam exposuit: Inquit enim. Quoniam verò ex hoc quod humidum à proprio calido superatur cõcoctio statuitur,

idcirco dicit ſanitatis ſigna eſſe talia: ea vi delicet quæ cõcocta dicũtur, & vrinæ, & alia ſedimenta, & omnino ſuperfluitates. Horum namq; cõcoctio, inditio eſt quod propria animalis caliditas ſuper humidũ obtineat. *Et quæ deinceps. Accedit ad hoc, ꝙ ipſemet Ariſtoteles paulo inferius de cruditate loquens hæc de huiuſmodi rebus ſcribit.* Vnde & vrinæ, & ſeceſſiones & catarrhi crudi dicuntur ꝓpter eandem cauſam. Eo enim quod non ſunt obtenta à caliditate neq; conſtant cruda omnia appellantur. *Ratio itaq; formalis cur hæc cruda vocẽtur: hæc eſt, non obtineri à calido, neq; conſtare: cõcoctionis itaq; per contrariũ, ratio formalis erit, à calido obtineri & conſtare: non autem indicare partem bonam rectè fuiſſe cõcoctam vt illi falſo exiſtimarunt. Praui itaq; humores (vt ad rem reuertamur) vt tales ſunt (hoc eſt, ratione partis praue) concocti tunc dicuntur: quando cauſæ præter naturam in eis exiſtẽtes victæ & debellatæ ſunt, hiq; quantum eorum natura patitur animali aſsimilati. At ſi res contra ſe habeat, & cauſæ innato calori præualeant, tunc humores naturæ contumaces & rebelles reddentur. Hanc humorum diſpoſitionem, ſi quis eorum prauitatem*

tem

tem appellet recta, ac propria voce vtetur: sin autem cruditatem vocere malit, latiore quidē vtetur cruditatis significatione, nō tamen à veritate aberrabit, vt primo de symptomatū causis testatur Gal. Verū quoniam & sanguinis putrescenti, & alijs humoribus prauis, quæ concoctionem admittere possunt, semper aliquid boni mistum est, quod perfectè trāsmutari potest in substantiam membrorum, propterea natura, unica actione (sicut in cibis quoque facit) utranque partem transmutare pergit: eam nēpe, quæ nutrire potest, quā causæ præter naturam non attigerunt, & illam quā eædem iam inuaserunt, quæ nullo modo nutrire nequit. Vtramque igitur partem vnà transmutat, & animali aßimilat, sed priorem ita aßimilat, quod membra alit: reliquā uerò quantum fieri potest eiusque natura concedit membris aßimilat, sed nunquam perfectè sicut priorem faciebat. Ob id si duo hæc inter se comparentur, quia prior pars perfectè transmutatur, propterea absolute concocta dicitur: nouißima verò, quia perfectam illam transmutationem nō adipiscitur idcirco partis bonæ cōparatione, semicoctū excrementum vocari poterit, vt Gal. 2. in 1. de vulgaribus morbis commentario censuisse videtur. Hanc naturæ actionem, si totam conside-

remus, cùm in partis bonæ transmutationẽ terminetur, propterea, ab ea potius tãquam à perfectiora concoctio appellari debet: atq; partis illius ratione proprie concoctio uocabitur. Quod 2. in 1. de vulgaribus morbis Gal. considerauit, dum eam sententiam quæ supra pro secunda secta adducta est protulit. At si prauam partẽ per se consideremus non conferentes eam bonæ, tũc & ipsa (quæ eius comparatione semicoctum excrementum appellabatur) concocta dicetur, postrema concoctionis significatione: hoc est, à natura victa & superata, vt supra ex Gal. 2. de ratione victus in morbis acutis ostensum est. Sed quis iure optimo quæret: quamobrem praui humores quibus nihil boni admistum est, à natura concoqui nequeunt? Huic quæstioni authores secundæ sectæ facilimè se satisfacere credunt, dicentes: ꝙ id euenit, quoniam concoctio non est prauorum humorum, sed bonorũ solummodo, & qui nutrire possunt. Cùm itaq; in illis humoribus nihil sit ꝙ nutrire valeat, quomodo vnquam concoquentur? Sed grauißimè falluntur. Nam & si id ꝙ dicunt, de secunda concoctione q̃ propriæ concoctio appellatur verum est, de postrema tamen, id est, falsißimum: cùm & aqua quæ haud nutrire potest, & similia concocta eo

modo

modo dicãtur. At quænam igitur est causa quod praui eius naturæ humores cõcoqui nequeunt? Quæ? Non mehercle partis bonæ carentia: sed causarum præter naturam vis, cui prævalere non potest calor innatus. Quo fit vt ij semp crudi, & maligni permaneant: nec vllo pacto trãsmutari ac vinci possint. Quod etiam quandoq; prauis humoribus accidit, quibus aliquid boni est admistum. His enim aliquando causæ præter naturam tam validè, existunt, q calor innatus eis resistere non potest, sed ab illis superatur. Et tunc humores in extremam cruditatem, & prauitatem perueniunt: & tandem membrum in quo continentur & ipsum animal quandoq;, in perniciem ducunt. Hæc sunt quæ mihi de prauorum humorum concoctione & cruditate dicenda uidetur. Ex quibus, liquido cõstare arbitror, quodnam sit medici munus in procuranda prauorum humorum cõcoctione. Nam cùm eorum concoctio (vt dictum est) nihil aliud sit, quam causarum præter naturam in eis existentiũ debellatio, ac naturæ contra eas victoria, idcirco medici officium est, cùm prauorum humorum concoctioni studet, primum causis præter naturam contra ire, easq; imbecilles reddere: deinde calorem innatum quantum fieri potest manu-

tenere ac seruare. Verùm quonam modo hæc absoluere poterit? Quo? Illud quidem, debitis euacuationibus, & in tempore adhibitis, alterationibus, & alijs deniq; remedijs, quibus causæ præter naturam oppugnari solent, optimè perficiet. At reliquũ duplici ratione assequetur vt Gal. 2. in 6. de vulgaribus morbis nobis significauit. Nam cũ calor innatus moderata quadam difflatione & vẽtilatione (vt ita dicam) seruetur ob id medicus q naturæ præsto esse vult, vt causas prauis humoribus inexistentes superet, immoderatam caloris difflationem & dissolutionem si ea adsit, prohibere conetur. Quod in magnis inflãmationibus sæpissimè vsu venit. Eas enim, si emplasticis medicamentis innatæ caliditatis dissolutionẽ prohibeamus. Natura melius atq; facilius concoquet, quàm si calorem innatum dissolui permittamus. At si prohibitus sit calor innatus difflari (vt in putridis febribus propter obstructiones plupimum euenit) tunc totis viribus enitendum, vt in pristinum statum is reuertatur, ita ut moderatè diffletur. Verùm hac de re latius disserere præter rem esset. His itaq; omissis tempus iam est vt ad quæstionem nobis primo intentam pedem conferamus.

IN prima huius operis parte atq; secunda medicorum ferme omnium qui nostris temporibus arti operam aliquam concedunt circa propositam quæstionem controuersias, quantumq; omnes in eius dissolutione aberrēt abundè ostensum est: in tertia verò quidnam sit prauorū humorum concoctio contra multorū decreta exarauimus. Nunc autem quæ fuerit vera Hippocratis ac Galeni sententia, de humorum purgatione in morborum initijs tentanda (q̄ à principio proposuimus) explicandum. Verùm vt id melius facere valeamus, quædā propositio huic negocio sumopere vtilia ad examen reuocanda sunt. Cùm ægrotantium corpora nobis sese offerunt purganda illud imprimis considerare debemus: nunquid scilicet ad purgationes parata ea sint, an secus. Atq; si illa ad purgationes parata videantur, tūc ipsa purgare nobis licebit: sin minus, omnino purgationibus abstinere oportebit: nec prius corpora purgationibus tentanda erunt, quàm ad eas parata fuerint. Vt autem corpora ad purgationes parata sint, primo ea omnia ab illis abesse oportet, quorum 1. Aphorismorum parte meminit Galen. hæc inquiens. Nam qui multa cruditate laborant, quiq; tenaces aut crassos cibos sumpserunt: qui

bus itidem inflata sunt, extenta hyppocũdria, aut vehemens calor infensus est, & vrinæ igneæ & quibus in aliquo viserũ eo in loco existentium adest inflãmatio, omnes hi haudquaq̃ apti sũt ad purgationes. *Quam sententiam eo in lib. cuius inscriptio est. Quos quibusúe medicamentis, & quo tempore purgare oportet, clarissimè confirmauit. Oportet præterea vt corpora ad purgationes parata sint, ea fluida esse. Quod bonorum omnium author Hip. 2. Aphor. parte ea sententia clarissimè præcipiebat.* Corpora cũ quispiam purgare voluerit oportet fluida facere. *Fluida verò redduntur corpora non solũ si ea ita disponamus vt ad vomitum vel ad alui subductionem prompte se habeant, vt Gal. eam sententiã exponens declarat: sed præter id attenuatis & incisis crassis & tenacibus humoribus, si qui in corporibus reperti fuerint, & apertis meatibus per quos humores trahi debent. Ex quo liquido apparet humorum crassitiem & lentorem purgationẽ penitus interdicere: similiter & meatuum per quos humores extra corpus ferri debent obstructionem & clausionem ipsam omnino prohibere: horum autem apertionem, & humorum tenuitatem purgationi consentire.*

Aliud

Aliud antequàm ad purgationes accedamus maximè à nobis considerandum est nũquid scilicet humores quos purgare uolumus crudi sint an potius concocti. Nam humorum cruditas eorum purgationi pœnitus aduersatur: concoctio uerò ipsam indicare videtur. Quod optimus ille senex 1. Aphor. parte breui hac sententia nobis demonstrauit. Concocta medicari, mouereq; nõ cruda neq; in principijs. *Cùm enim humores crudi sunt, & naturæ cõtumaces, ipsi minime obsequuntur. Si itaq; eos purgare tentemus, tunc illam non habebimus sponte euacuationi adminiculantem: quinimo purgationem grauiter feret, quando vnà cum prauis humoribus, bonorum quoq; non modica quãtitas, expugnatur: vt in 2. huius operis parte contra minorantes apertè demonstrauimus. Verũ concoctis humoribus, vt Gale. eam sententiam explicans ait.* Naturam etiam habebimus euacuationi adminiculãtem. Siquidem videtur & ipsa post concoctiones humores discernere, & supflnitates expellere, quo tempore fiunt iudicationes. *Humorum igitur concoctio purgationi haud aduersatur: at cruditas eorum purgationem pœnitus inhibet. Accedit ad hæc aliud ante purgationes diligẽti*

examine perpendendum, nempe humorū quies, & motus. Ab hoc enim purgationes conceduntur, ab illa autem quandoq; sed non semper. At bifariam humores moueri contingit, aut enim per diuersas corporis partes uagātur (nequeunte natura ob concitatum eorum motum illos ad determinatam sedem trāsmittere) huc verò & illuc ꝑ totum corpus, aut principes saltē eius partes moti (ut Gal. 4. Aphor. parte inquit,) ægrotantem infestant, eumq; suo motu affligentes, nullo modo quiescere permittunt: aut ad vnam solummodo partem determinatam feruntur, q̄ inuadunt, in eaq; firmantur, atq; figuntur: ꝙ in humorū præter naturam generatione maximè contingit. Horum motuum vtrunq; purgationem indicare potest: sed longè diuersa ratione. Nam prior id purgandum indicat ꝙ actu morbum efficit, quodq; vt 6. de vulgaribus morbis ait Gal. ad euacuationem ꝓperat, dirigi autem ad vias excretioni accomodatas nequit, ob eius concitatum motum: propterea purgantis medicamenti ope eget ꝙ veluti manū porrigens motum illum inordinatum ad vias illas dirigat: priusquam vt Gal. 4. Aph. parte scribit, corporis robur dissoluatur, vel febris augeatur, uel in aliquod princeps membrum decumbant, q̄ per

corpus

corpus vagantur humores, ac sæuissimũ in animali morbum procreant. At motus humorum quando hi ad determinatum membrum feruntur purgationem etiam indicare potest: nõ quidem eorum humorum q actu morbum efficiũt, & in membro cõtinentur. (Hi enim in morborum initijs nullo modo sunt purgationibus tentandi) sed eorum qui aut fluunt, aut parati sunt fluere: ut eos in contrariam partem reuellentes, hos verò simul cum illis secundam partem euacuantes, minorem fluxionem reddamus. eaq; ratione morbum supra naturæ vires augeri prohibeamus. Quod Gal. 4. methodi medendi nos docuisse, & in alopecia, in oculorum inflammationibus, & in plerisq; alijs morbis alibi obseruasse, comperimus. Idem ipse quoq; Hip. 2. de ratione victus in morbis acutis & plerisq; alijs in locis voluit, vt infra clarius demonstrabimus. Cùm igitur humores mouentur ad determinatam partem, quandoq; in morborum initijs nobis purgare licet: vt eorum reuellando, & contraria trahendo motum aut humores paratos fluere & etiam fluentes aliquo modo euacuando fluxionem retardemus, eamq́; minorem reddamus. Verum humorũ quies quandoq́; purgationi consentit, quandoq; verò eam omnino prohi-

bebit. Nam quando ſunt membris impacti purgatorio medicamento tunc non obſequũtur. Ob id autem & maximam vim naturæ inferri & membra liqueſcere certiſsimum eſt. Illud etiam priuſquam ad purgationes accedamus contemplari debet: nũquid ſcilicet humores ſint pauci, paruumq́; morbum parere poſsint: an multi ac magni morbi nobis timorem incutiãt. Nam ſi pauci in corporibus reperiantur praui humores atq; ex his prauum futurum morbum ſperemus, tunc purgationis indicatio omnino ceſſat. Cũ enim natura ꝑ ſe ſola, aut certè læuibus præſidijs adhibitis, morbos oppugnare ualet, ualidis vtiq; remedijs corpus humanum affligere non expedit, & potiſsimum purgatorijs medicamẽtis: q̃ naturæ humanæ tantopere aduerſa ſunt. Quod Gal. 3. Aph. parte his verbis ſignificauit. Neq; tamen ea quæ per purgatoria medicamenta fit ſuperfluitatum euacuatio cõueniens eſt. Nam valdè indigentibus & ex longis interuallis vtilis eſt. *Cuius ſententiæ ipſe quoque Auicenna tertia fen primi canonis ſubſcibere videtur, hæc inquiens.* Earum euacuatio ſecundum plurimum uõ perficitur niſi cum medicinis fiat veneno ſis, quæ procul dubio naturã frãgũt. Quæ

etiam

etiam quod venenosæ nõ essent nõ posset esse quin eas bibere naturæ laboriosum esset: quemadmodũ dicit Hip. medicina purgat & inueterat, & præter hoc cum humore superfluo euacuat ex humiditatibus naturalibus & spiritu, qui est vitæ substantia, magnam partem. Et hoc quidem est ex eo ꝙ virtutem membroũ principalium & eis seruentium debilitant. *Cũ itaq; ex purgationibus tot corporibus accedant incõmoda, idcirco nisi magna vrgeat necessitas, ab eorum vsu omnino est abstinendũ: etq; eis solummodo vti debemus quãdo magni alicuius morbi timor adest, quẽ natura p se sola vincere non possit. Valeat igitur praua eorũ consuetudo, qui in quocunq; vel prauissimo affectu ad purgationes illico conuolant. Postremo in purgationibus maxima aduersione dignũ est nunquid ægrotãs quẽ purgare intendimus febre laboret an secus: & si ea laboret vtrũ placida sit, & mitis atq; inter accessiones intermittat, vel potius vehemẽs & continua. Nã si febris non adsit, aut saltem ea placida sit & mitis, ab illa vtique purgationes nõ impediẽtur, At si uehemẽs febris & continua corpus obtineat, tũc purgationibus prsus abstinere oportet. Hoc Hip. in libro de purgatoriis me*

dicamentis, apertissimè præcepit, hæc inquiens. Quicunq; validis febribus corripiuntur, his vsq; ad remissionem purgatoria medicamenta ne dato, sin id nollis, saltē ne circa 14. diē. *Et paulo inferius.* Quãobrem medicamēta purgatoria in febribus magnis, ne ore sumantur præcipimus. *Quod præceptum ipse quoq; Hip. in cura calcis vehementer commoti seruauit: vt ex eius sententia 2. de fracturis scripta, satis constat: q̄ talis est.* Sed si febre quidem vacet, medicari cũ è superiori parte debemus, sicut dictũ est, quicunque item febre cõtinua nõ laborãt. Nã si continus sit, medicãdũ nõ est, sed à cibis & sorbitionibus abstinendũ, potioneq; vtēdũ, aquæ non vini, sed mellæ. *Hoc idem in pedis luxatione eundē Hip. seruasse, id q̄ in fine 4. lib. de articulis ab eo scriptum est, satis comprobat.* Curatio enim *(inquit)* horum hęc est: si absit febris veratrum est exhibendũ, si adsit, dandum non est. *Quam quidē rem ipse etiã Gal. 2. de rat. victus in morb. acutis confirmare videtur.* Vbi igitur *(inquit)* nõ solùm acutus morbus fuerit, eiusmodi est pleuritis verũ & cũ febre vehementissima multò magis vitanda est, purgãtis medicamenti

admi-

administratio. *Et rursus dũ ait.* Cũ igitur febris vehemens nõ fuerit: naturãq; ægrotãtis exptus fueris ad purgãtis medicamẽti potũ te cõferes. *Ob id etiã (vt opinor) Hip. 4. Aph. parte, in morb. valdè ac. si humo turgeãt, eodẽ die purgationẽ pcipit: anteq̃ sanè (vt Gal. ait) febris vehementia augeatur, q̃ purgationẽ impediet. Multa quoq; alia in purgationibus cõsideranda sunt, quæ quoniam proposito huic negocio parum aut nihil cõducunt, idcirco ea breuitatis causa omittemus. His itaq; optimè ppensis (vt ad rei difficultatem tandem accedamus) quorum aliqua purgationibus cõsentiunt, quædam verò ipsis repugnãt, cùm morborum principijs occurrimus, illud à nobis cõsiderari debet: quænam eorum q̃ dicta sunt ægrotãtibus insit, & quæ nõ. Atq; si plura & validiora ex his quæ purgationem indicant ægrotanti insint, tunc nobis purgare ipsum licebit. Si verò contra plura scilicet & fortiora à purgatione nos dehortentur, ab ea prorsus abstinendum erit. Interea autem, quæ dicta sunt purgationes impedire, corporis ineptitudinẽ, ac præparationis (vt ita dicam) defectum, ad purgationes prohibendas maximè posse mihi uidetur. Nã si ægrotantium corpora ad purgationes sint imparata, etiam q*

cætera omnia purgationi consentirent nũquam tamen purganda sunt. At ijs enim corporibus q̃ purgare volumus, ea omnia primo abesse oportet, quæ supra ex Gal. sententia 1. Aph. parte adducta sunt: deinde & fluida ea esse vt commune illud Hip. præceptum inuiolatũ seruemus. Corpora cùm quispiã purpare voluerit oportet fluida facere. *Sic itaq; vt in re signata versemur, corpus ægrotantis ad purgationes imparatum: atq; humores turgeãt (q̃ purgationes in morborum principijs maximè indicat) nunqd illud purgatione tentandum? pfectò cùm magis possit ad purgationem phibendam corporis ea ineptitudo, q̃ concitatus humorũ motus, ad illã indicandam, ppterea iure optimo dicendum est eo casu purgationem minimè conuenire. Quod Gal. 1. Aph. parte hunc in modũ clarissimè ostendit.* Qnare (*inquit*) nõ sine ratione dixit raro circa principia acutorum morborũ nobis venire in vsum purgationes: quoniam non sæpius tnrgeant humores in principijs: neq; si quid istorũ adsit ægro satis ad purgationẽ parato, neq; dante nobis morbo temporis occasionem, quo possimns ex imparato paratũ facere. *Quomodocunq; igitur reliqua se habeant si corpus ad purgatio-*

nes

nes imparatum sit, non tantùm dicam in morborum principijs, sed nunquam purgari debet. Verùm si vnà cùm humorũ concitato motu corpus ad purgationem paratũ videatur: q̃uis humores crudi sint, nihilominus nobis id purgare licebit. Præualet enim indicatio q̃ à cõcitato motu capitur ci q̃ à cruditate, modo corpus ad purgationes paratum sit. Quamobrem (vt opinor) optimus Hip. ab illo cõmuni p̃cepto, quo 1. Aph. parte iubet concocta medicamento purgatorio tentanda, non cruda, neq; in principijs, turgentes humores excepit, inquiens, modo nõ turgeant. Ex hoc sanè demonstrans plus posse cõcitatũ humorũ motũ ad purgationẽ indicandam quã possit eorũ cruditas ad illã inhibendã. Verũ quoniã in morborũ solũmodo acutorum initijs humores turgere solent, ut Gal. in 1. Aph parte, & 2. in 1. Prorrhetici cõmentario testatur: idq; raro etiã accidit, vt in p̃posito Apho. nos docuit Hip. dicẽs, plurima verò nõ turgent, ppterea illius motus causa raro in acutorum quoque morborum initijs veniunt in vsum purgationes. Quas etiam maxima cum p̃meditatione & cautione tunc faciendas esse idem Hip. paulo inferius scripsit: nẽpe cùm ad eas paratum fuerit corpus. Ad cùm rarißimè nobis accibat parato

corpori occurrere, morbiq́ celeritas tēporis occasionem præripiat vt ex imparato id paratum facere queamus, ob id rarißime quando etiā humores turgēt, corpora purgare nobis concessum est: in qua re quantopere minorantes deficiant vnicuique in promptu est cognoscere. Verū cum humores non turgēt, mouētur tamē ad determinatā sedē, nunquid parato etiam corpore ad purgationē existēte, purgandum? Certe cū in principiis morborum humores semper crudi sint, vt sæpe dictum est: cumq́ humores non turgeant, quod solummodo cruditati præualet vt ex Hip. dicto aphorismo satis constat, propterea iure optimo dici videtur corpora eo casu non esse purgationibus tentanda. Qua ratione (vt arbitror). moti, qui minorantibus totaliter aduersantur dixerunt in morborū initiis nullo modo purgāda esse corpora nisi humores turgeant. Ego uerò ex Hippo. & Galen. sententia, dico fluentes humores ad determinatum membrum, & non eos solummodo, sed etiam paratos fluere, in morborum principiis à nobis quandoq́ purgari debere vt inhibita ac minorata (vt ita dicam) fluxione morbi maximum incrementum prohibeamus, nō autem vt id ali quomodo exdurgemus quod actu morbum causat. Quo fit vt munus

hoc

hoc magis pertinere ad eam medicinæ partem videatur quæ prohibet morbos augeri quàm ad eam quæ iam factos curat. Verum vt res clarius explicetur fluxionum indicationes paucis ad examen reuocemus. Cùm humor aliquis in membrum determinatum fertur, ita vt eius pars iam membrum obsideat: pars verò altera in id cõtinue fluat, tunc duplex nobis sese offert indicatio, vnà quidem à parte iam fluxa & in membro firmata, quæ est ipsius digestio & euacuatio: altera verò à parte fluẽte, nempe fluxionis inhibitio, ac (vt ita dicam) minoratio. Hãc prius absoluere debemus q̃ priorẽ aggrediamur. Quod quidem recta ratione pficiemus, si ab eius causa, magnitudine, vehementia atq; alijs quãpluribus indicationes cæperimus, easq; optime seruauerimus. Nam si fluxionis causa sit immoderata membri patientis caliditas, vel dolor quispiã intensus, fueritq; fluxio parua, tunc facillimum erit caliditate, refrigerantibus medicamẽtis, tẽperata, anodynis verò dolore lenito fluxionem sistere. Si autẽ fluxio ea aliundè trãsmittatur, repellentibus medicamẽtis, ac robur adstringendo, affectæ parti pstantibus, eã cohibebimus. At si fluxionis ea magnitudo sit, & vehemẽtia, vt validiora psidia postulet: tũc & fri-

ctionibus, & ligaturis, & cucurbitulis contrarijs partibus adhibitis, & similibus, res agenda erit. Quodsi adhuc maior & vehementior fluxio fuerit ad validiora quoq; præsidia trãseundum: & potissimum si ægrotantis corpus plethoricum sit aut prauis humoribus refertum. Inter quæ missio sanguinis vt potè validissimum ac tutissimum remedium (vt Gal. verbis vtar) primas sibi vendicat partes: virtutis robore, ætate, & corporis habitu ei cõsentiẽtibus, vt Hip. quarto de ratione victus in morbis acutis, & Gal. ibidem, & in libro de curatione per sanguinis missionem nobis scriptum reliquit. At si horum aliquod sanguinis missionẽ impediat, quid ò optimi Gal. imitatores (vos huc appello qui in morborum initijs nisi turgeãt humores nunquã purgandum esse contenditis) quid inquã faciẽdum? An ne permittendum in angina (exempli causa) tantam humorum copiam ad affectum mẽbrum fluere: ac tantopere faucium aut gutturis tumorem cressere vt ægrotantem priusquã Natura morbum concoquat, suffocet? Vel potius optimam Gal. Consuetudinem, quam ex quarto de ratione victus in morbis acutis, & ex sexto de cõpositione medicamẽtorum secundum locos in secunda huius operis parte explicauimus, se-

quemur

quemur? nempe clysteribus & si opus fuerit purgationibus fluxionis impetum retardare tentãtes? Certe si rem ipsam bene considerare voluerimus, hoc secundum vt rationi magis consentaneum, eligibilius est. Sistendæ itaq; fluxionis humorum gratia (quãdo sanguinis mißione aut ob virium imbecillitatem, aut ob ætatem vel corporis habitum id consequi non valemus) ægrotantium corpora in principijs morborum purgationibus nobis quandoq; tentare cõcessum est: cum hoc idem à Gal. quarto methodi medendi, quarto de ratione victus in morbis acutis, sexto de cõpositione medicamentorũ secundum locos in angina & alibi plerisque alijs in morbis f- ctum videamus. Quandoque atiam ob membri situm (nisi admodum magnus morbus & acutus sit, qui semper sanguinis mißionem postulat, vt Hip. quarto de ratione victus in morbis acutis nos docuit) in principijs morborum purgatione magis quàm sanguinis mißione procuranda est fluxionis inhibitio. Quod Hip. 2. de ratione victus in morbis acutis in pleuritidis curatione, cùm dolor ad inferiores costas pertingit, fecisse existimo. Non enim Hip. eo in loco purgationem pcipit qua humores in membro affecto firmari moueantur, vt infra ostendemus, sed eam qua

fluentes, ac parati fluere, vel saltem ipsorum aliqua pars, extra corpus ducatur, vt minor humorum copia ad inflãmatam partem, fluat, atque hac ratione fluxio aliquo modo sistatur. Sed quispiam fortasse quæret: quamobrem Hip. hanc fluxionis inhibitionem elegit? Nonne satius fecisset si sanguinis missione à curuatura brachij reuulsionem humorum ad superiora & contraria trahendo tentasset? vt Gale. placuisse videtur? Huic quæstioni facillime responderi potest, eam fuisse Hip. consuetudinem: nempe inflammationum causas purgationibus quandoque emendare, quas tamen Gal. sanguinis missione corrigebat, vt ipsiusmet Gal. sententia est secundo in librũ Hip. de fracturis commentario. Non suppurat autem (*inquit*) sanguis cum inflammatio magna superuenit aut ex prauitate deligationis, aut ex eorum malignitate, aut multitudine: quam ipse quidem exinanitione per medicamenta nos sanguinis missione emendamus. *Verùm cæteris inflãmationibus præteritis, ad pleuritidem de qua erat sermo reuertamur: & Hip. ac Gal. consuetudinem parumper cõtemplemur: vt quæ earũ melior fuerit iudicare possimus. Gal. itaque, vt ab eo exordiar, cũ cõsideraret quod febris vehemẽ-*

tia

tia ac (vt ita dicam) acuties plurimum pleuritides etiã in quibus dolor fertur ad inferiores costas, cõmitari solet: quodq́; is magnus morbus est propterea Hip. præceptum, perpetuo obseruari vetuit, aphorismum adducens: In acutis scilicet morbis rarò & in principijs purgantibus medicamentis vtendum est: & potissimũ si vehemẽtissimæ febres ijs coniũctæ fuerint. Quæ tam & si vera sunt non tamen propterea Hippocrates insimulandus, qui eo in morbo, nempe in pleuritide cum dolor ad septum transuersum pertingit, purgationem & non sanguinis missionem præceperit. Nam morbi illius curationem vt talis est naturæ, docens (omissa febris vehementia ac morbi magnitudine de quibus & in illo Aphorismo & quarto de ratione victus in morbis acutis abundè pertractauit: ac quid indicẽt perfectè demonstrauit) eã corporis euacuationẽ p̃cepit, quæ inclinationi peccãtiũ in eo humorũ magis cõuenire videtur. Ea autẽ est per inferiorẽ vẽtrẽ purgatio. Quã si sanguinis missioni à curuatura brachij conferamus, cã morbi illius ac peccãtiũ humorũ naturæ lõgè magis cõuenire percipiemus. Etenim quid sanguinis missio nobis præstare põt? Profectò nihil aliud quã fluentiũ humorum retractionẽ. At Hip.

purgatio non solùm fluentium humorum partẽ educens, sed etiam eorum qui parati sunt fluere portionem euacuans, fluxionem magis cohibebit ac minorem reddet, Nã humores qui ad inferiora inclinationem habẽt cùm graues ex sui natura sint, ob id ꝑ inferiora melius atq; facilius educuntur quàm ꝑ supiora. Quãuis itaq; sanguinis missio à brachij curaturi ad reuellãdum magis idonea sit purgatione ꝑ aluum. Hæc tamẽ illi præstat ad euacuandum corpus humoribusq; educendis, nõ solùm fluentibus, sed paratis etiã fluere: qui ꝑ eam sanguinis missionem commodè euacuari nequeunt, cùm graues sint & ad inferiora inclinẽt. Quod respiciens Hip. omissa sanguinis missione, purgationem ꝑcipit, ut potè magis aptam ad corpus expurgandum, in quo graues humores morbũ augere possunt. Id verò tãtum abest vt à Gal. damnetur vt potius illud (si bene quæ ibi, & in lib. de sanguinis missione aduersus Erasistratum ab eo scripta sunt considerentur) summopere laudare uideatur: in qua re grauissimos alioquin viros deceptos scio. Sed cur Hip. ꝑ venas inferiores sanguinem non mittit? Cur? Quoniam affectio supra renes est, & humores à venis illis tãtopere remoti, ꝙ ea euacuatio parum aut planè nihil potuisset prodesse.

Verùm

Verùm hac de re latius disputare præter rem esset. Sat enim sit, nos ex Hip. ac Gal. decretis ostẽdisse, in principijs morborum nobis quandoq; licere corpora purgationibus tentare etiam quod humores nõ turgeant: idq́; cohibendæ ac (ut ita dicam) minorandæ fluxionis humorũ gratia, quãdo hoc sanguinis mißione ob dictas causas facere nobis concessum non est. At quoniam rarò accidit quod corpora adeò imbecilla, ut sanguinis misionẽ tollerare nequeant, à magnis ac vehementibus fluxionibus molestentur: pueri uerò ob innatam propter humidum corporis habitum, euacuationem, validis his remedijs non multũ egeant: & qui pleuritide & similibus morbis laborant acuta febre ac vehementi & magno morbo plurimũ detineantur, propterea rarò quoq; euenit, vt alio quàm sanguinis mißione, magnas & vehementes fluxiones sistere opportuunm sit. Raro itaq; non solùm quando humores turgent, sed etiam quando fluunt ad determinatam partem veniunt in vsum purgationes. Quæ Gal. fortè respiciens 2. Aph. parte hæc ait. Circa initia illorum morborum in quibus speramus ægrum conueleturum, tentandum est maiora afferre remedia, de quibus dixit Hip. si quid videtur mouendũ mone, sunt au-

tem hęc maximè venæ sectio nonnunquã
& purgatio. *Hæc mehercle dictio,* nonnunq̃,
quam purgationi præposuit satis apertè demon-
strat, rarò in morborum initijs uenire in vsum
purgationes, plurimum verò sanguinis missio-
nes: q̃ dictio, maximè, *venæ sectioni apposita,*
clarissime ostendit. At si rarò in morborũ prin-
cipijs purgandũ, quando itaq; id accidet? Quan
do? Nempe cũ turgent humores. Deinde quãdo
ad membrum aliquod fluunt, aut saltem parati
sunt fluere, & sanguinem mittere non est oppor-
tunum ꝑpter dictas iam causas. Quod quidem
cùm rarò accidat rarissimeq; in morborũ initiis
corporibus ad purgationẽ paratis occurramus,
idcirco Gal. (vt arbitror) eo modo loquendi v-
sus est: nobis indicans in morborum initijs plu-
rimum sanguinem mittendum, rarissimè verò
corpora purgãda. Ex quo lucidissime apparet mi
norantes toto (vt aiunt) cælo à Gal. mente aber-
rare. Sed quis vlterius & nõ immerito quæret,
cùm in morbum initijs humores semper crudi
sint, vt in lib. de crisibus & alibi sæpissime scri-
psit Gal. quomodo itaq; corpora rectè in princi-
pijs morborum purgabimus? & potissimum cũ
Hip. 1. Aphor parte neget cruda medicamento
tentanda esse, nisi turgeant: nõ turgent autem,

quando

quando mouentur ad determinatam partem. Hāc difficultatem soluere nescientes qui minoratibus aduersantur, in maximos errores lapsi sunt. Cui tamen nos facillime respōdemus, ꝙ & si humores qui in partem affectam fluxerūt, & in ea firmati sunt, crudi semper in morborum initijs existunt, tertia cruditatis significatione (quæ purgationes maximè impedit) illi tamen ꝗ adhuc sunt in motu, & ad affectā partē fluunt & ij ꝗ parati sunt fluere, non ex necessitate crudi sunt, sed sæpissime concocti. Quod nobis clarius sic etiam apparebit, si sanguinem & biles ex quibus potissimū vehementes fluxiones & magnæ eorum habent diligenti examine ꝑpenderimus. Nam neq; sanguis, neq; biles priusq̄ in parte ad q̄ feruntur, firmētur, plurimū crudæ sunt, nec 2. nec 3. cruditatis significatione: (primam enim vt à ꝓposito nostro alienam iam à sermone nostro abegimus) cū secunda concoctionis significatione, soli pituitosi humores crudi meritò appellari possint: (vt in 3. huius operis parte ostensum est) reliq; verò humores aut concocti aut supercocti. Nec etiam 3. cruditatis significatione humores illi crudi dicētur, nisi eos causæ præter naturam inuaserint priusq̄ in affecta parte firmentur: ꝙ non ex necessitate contingit. Erunt

itaq; concocti & ob id in morborum etiam principijs nihil nos impedit quin eos (corpore ad purgationes parato) purgare poßimus: nec tamẽ ꝑpterea Aphoris. præcipienti cõcocta medicamẽto tentanda non cruda neq; in principijs modo non turgeãt, aduersabimur. Non enim tunc crudos humores purgatione tentabimus, sed concoctos tertia concoctionis significatione: hoc est, à natura victos & transmutatos, & quãtum eorum natura patitur, animali aßimilatos. Verũ si quando accidat humores fluentes à causis ꝑter naturam obtineri nunqd cũ crudi sint eos purgatione tentare concessum sit? Equidem cũ rem ipsam diligenti examine ꝑpendo maximarum ambiguitatum ea mihi plena apparet. Nam unà ex parte videtur ꝙ Hip. in Apho. illo sæpius adducto: Concocta medicamento tentanda non cruda neq; in principijs, nisi turgeãt: *omnino ꝓhibeat crudorum humorum purgationem, & si eam aliquando concedit, id est, quando turgent: hoc est, huc & illuc ꝑ corpus, concitati ad motum, vagantur. At humores illi nõ hoc motu mouẽtur. Apparet itaq; ꝙ nullo modo sint purgatione tentandi. Ex aduerso supponamus eos magno impetu in principijs aliquod membrum ferri: ad guttur scilicet (vt præposito exemplo*

emplo insistamus) ita vt immineat periculum suffocationis, nisi ea fluxio sedetur, idq; sanguinis mißione facere nobis non liceat, aut ob viriũ imbecillitatem, vel propter ætatem aut corporis habitum, qd p dcum immortalem tũc agendum est? Profectò longè melius videtur fluẽtes humores etiam ꝙ crudi sint, purgationibus reuellare, q̃ pmittere ægrotantem suffocari. At si id faciemus Hip. sentẽtiæ aduersari uidebimur. Quid itaq; agendum? Ego equidem tam ancipitem rẽ prudentis medici ope indigere arbitror, qui vtramq; indicationem optimè timetur: eã nempe quæ à cruditate humorum sumitur quæ purgationem omnino impedire videtur: & illã non minus quæ à vehementi & magna humorum fluxione capienda est, q̃ purgationem tunc admittit cũ sanguinis mißioni nullus est locus. Quibus indicationibus rectè ppensis ei maximè ipsum intendere oportet, quæ validior videbitur. Vtrùm quæ enim malum apparet purgare scilicet humores crudos: & pmittere morbũ tantopere augeri vt in maximum discrimen ægrotantem perducat. Inter duo itaq; mala id ꝙ maius est proculdubio vitandum. Nãq; si ægrotanti maiora nocumenta purgationem allaturam videamus q̃ sit emolumentũ ꝙ ipsi ea fluen

tium humorum reuulsio, & retardatio, afferre possit, tunc purgatione abstinendum erit. Sin verò res cõtra se habeat, indicatio quæ à cruditate humorum capitur præteriri debet: atq; in ea respiciendum quæ magna & uehemens fluxio nobis indicat: & si purgare opus sit purgãdum. Nec Hip. Aphor. huic rei (vt opinor) aliquomodo refragatur: cùm de ea purgatione ipsi sit sermo quæ vt peccantes humores euacuemus, corporibus adhiberi solet: non autem de ea, quæ fluxiones cohibere intendimus. Nam in hac auxilio naturæ non egemus vt ea scilicet euacuationi opituletur: cũ trahere humores ad contrariã partem ei ad q̃ mouet natura nitamur. Quod quando euacuandi gratia purgamus, maximè considerãdum est. Nam quæ ducere oportet quo maximè natura vergit per loca conferentia eò ducere conuenit, vt 1. Aph. parte præcipit Hip. Cùm itaq; idem dicat concocta medicanda vt Gal. in illius sentẽtiæ expositione ait, quoniam tunc naturam etiã habebimus euacuationi sponte adminiculantem: propterea nihil aliud arbitrari possumus q̃ Hip. locutum fuisse de purgatione, qua intendimus corpus purgare, non fluxionem cohibere. Hæc itaq; cùm sic se habeant, vt dictum est, ꝓpterea in purgationibus quibus

fluxiones uehementes sistere tentamus, id summopere cauendum est, ne partem humorum in membro firmatam atq; in eo fixam purgatoriis medicamentis aliquomodo moueamus: vt 4. de ratione victus in morbis acutis his verbis nobis Hip. præcauit. Quicunq; autem ea quæ inflãmantur statim morborũ inter initia medicamento soluere conãtur, ij ab itensa inflammataq; parte nihil adimunt. Nõ enim cedit obsequiturq; quæ adhuc cruda est affectio. *Et quæ deinceps. Huius sententiæ duæ hæ dictiones,* soluere, & conantur, *apertè ostendunt Hip. in inflammationũ initijs, eam solummodo purgationem vetare, qua humores in parte inflammata firmati, ciq; infixi moueantur: non autem illam qua fluxiones humorum sedari possunt. Quod quidem non est conari soluere inflammationem, sed prohiberi ne supra naturæ vires augeatur. Id respiciens (vt arbitror) ipse quoq; Hip. 2. eiusdem lib. pleuritide laborantibus, quando dolor ad septum trãsuersum fertur, mediocrem purgationem præcepit: vt modus loquendi quo vsus est satis demõstrat. Non enim dicit* φαρμακεύειν *aut* καθαίρειν *δεῖ sed* μαλθάσσειν*, hoc est, molire oportet, moderatam purgationem tentandam esse indicans,*

qua humores in parte inflammata firmati non moueantur. Quod si quarto eiusdem libri eãdẽ curationem pertractans usus sit dictione φαςμακοῦςυ eo modo intelligenda est, ut in parte legitima eam intelligi oportere indicauit. Accedit ad hoc ꝙ fortè sententia illa quarti de ratione victus in morbis acutis inter legitimas Hip. non est reponenda. Nec cuiquam mirum videatur Hip. veratro nigro mediocrem purgationẽ tentasse, quando & ipse Gal. 2. in lib. de articulis cõmentario purgationem quæ fit ꝑ veratrũ albũ in raphanos infixum, inter mediocres purgationes enumerat. Nihil enim ꝓhibet validis pharmacis moderatè tamẽ sumptis: moderatas quoq; purgationes moliri. Quod arabum medicorum præstantissimus Auicenna 1 fen 4. canonis nobis significauit, dicens, Exhibere medicinã fortem debilem, fortem quo ad virtutem debilem quo ad q̃titatem. *Nec veratri nigri uis adeò terribilis antiquis medicis visa est sicut nostris temperibus multis videtur, q tamen eo nunquam usi sunt. Quod si aliquando fecissent, eiusq; vim in purgando experti fuissent, illud absq; ulla prorsus molestia purgare cognoscerent. Sed de hoc latius in antiquæ medicinæ apologia differemus. Nunc enim iam tempus*

est

est vt ad qescentes humores sermonẽ conuertamus. Humores itaq; q quiescunt & nullo modo mouentur, nec moueri parati sunt: (de his enim vnà cũ fluentium humorum indicatione ptractatum est vtrorũq; indicationes cõtingentes) sed in membro aliquo firmati atq; in eo fixi reperiuntur, in morborũ initijs nullo modo purgatione tentandi sunt. Hoc Gal. tã apertè 4. de ratione victus in morbis acutis affirmat, vt id nemo, nisi admodum proteruus inficias ire possit. Quarto (inquit) die purgandum indistincte pronuntiauit. Neq; enim inter morbi initia aliquod remediorum huiusmodi iniungere oportet, desumpto à numero dierũ scopo: sed quod Hip. censuit est exequendum. Nam vel statim ab initio priusquam in partem aliquam confirmentur humores medicandum, vel postea cùm ad maturitatem peruenerint. *Sed maximã hoc quoq; difficultatem habet, nunqd scilicet id verũ sit φ in ppposita sententia dictum à Gal. est, quando humores fuerint tenues & serosi. Nã hi in principijs morborum etiam φ quiescant purgationem admittere uidentur: cũ Gal. in lib. illo cuius inscriptio est. Quos quibusúc medicamentis & quo tempore purgare liceat, de tenuiũ hu-*

morum purgatiõe hæc scribat. Et ad hæc omnia tempus etiã mostrabũt si quidem inter initia morbi tenues & serosos humores euacuabis, vbi crassi & tenaces fuerint quales suapte natura pituita est, & atra bilis cõcoctionem expectabis. *Humores itaq; tenues etiam quod quiescant & in membris firmati sint purgari posse videntur. Quod si dixerimus, quo itaq; modo ipsi Gale. non aduersabimur? qui in sententia supra adducta, ex 4. de ratione victus in morbis acutis præcipiebat, vt Hip. decretum obseruaremus: nempe priusquã im partes confirmentur humores, eos purgãtes, aut quando iam firmati sunt, postquam ad maturitatem peruenerint. Huic perarduæ quæstioni (quæ multos in grauissimos errores pduxit,) id respondendum arbitror quod Gal. in dictis duabus sententijs, diuersas, ac fermè contrarias indicationes respexit: quarum quidem vnà, quæ videlicet ab humorum substantia capitur, nempe ab eorum tenuitate, quantum est ex se purgationem semp indicat: altera verò quæ sumitur ab humorum quiete, & (ut ita dicam) ab eorum impactione & fixione in mẽbris, purgationem omnino prohibet: nisi prius concocti sint humores & à natura euicti. Ex his autem indicationibus*

nibus

nibus priorem quidem, in libro eo. Quos quibus úe medicamentis, ac quo tēpore purgare liceat, considerauit: nouißimam verò 4. de ratione victus in morbis acutis. Verùm cùm duo hæc apposita sint, contrariaq́; indicent quodnam ex his, præponemus? Certè si ea per se sola consideremus non magis vni quàm alteri inhærēdum est. Sed cætera respicienda. Nam si vnà cum humorum quiete adsit eorū cruditas proculdubio duo hæc quæ purgationem impediunt, humorum tenuitati solæ, præualebunt: & tunc nullo modo purgandum, sin autem tenuitati humorum, ipsorū concoctio aut motus coniungatur, tunc ad purgationes accedere poterimus: cùm plura purgationem indicent quàm prohibeant. Diuersa itaq; respiciens Gale. diuersa quoq; varijs in libris pronuntiauit. Quinimo eodem in libro, modo dixit tenues humores nulla expectata cōcoctione purgandos: modo nisi turgeant humores, semper expectandam concoctionem: neq; ipse prius purgare bilem aggressus est quàm corpus præparauerit, vt ex libro de facultatibus purgantiū medicamentorum satis constat. Nunquid igitur Galenus sibi ipsi contradicit? Minime quidē. Sed diuersas indicationes considerans uaria quoq; in diuersis locis pronuntiat. Quod Aui-

cenna quoq; (vt opinor) fecit in sententiis ab vtraq; secta in sui fauorem adductis. Quã quidẽ rem non animaduertentes multi, par duis q̃stionibus se implicauerunt: atq; in diuersas sectas partiti sunt Nam quidẽ credentes Gal. absolutè concedere purgationem tenuium humorum in principiis morborum: eã his peccantibus, sem̃p faciendam existimant. At alij respicientes eundem Gal. quiescentes humores haud purgandos præcipere priusquam cõcocti sint, prioribus aduersantur. Atq; hinc lites & cõtrouersiæ (ni fallor) quæ diu fuerunt & nunc etiam inter medicos versantur, ortum habuere. At si nos animaduerterimus quæ à Gal. Auicẽ. cæterisq; planè bonis authoribus dicuntur nõ absolutè vera esse, sed p̃ vt varias indicationes respiciunt: tũc omnia plana & manifesta reddentur, vt in p̃positis sententiis dictum est. Verũ ut res p̃fectius declaretur illud annotatione dignũ existimo: q̃ nõ in omnibus morbis, quando humores sunt mẽbris impacti, omnium eorũ concoctio expectanda est. priusquã illos purgatione aliqua tẽtemus. Nam in iis morbis in q̃bus natura nõ seruat humores ad vnã (vt aiunt) creticã excretionẽ, sed partim eos cõcoqui, partim expellit p̃fecta omnium humorum concoctio priusquã aliquomo-

do

do purgemus expectari nõ debet: sed partim cõcoctioni studẽdum, partim purgationi: vt pars concocta educatur ꝑ aluum, modo ꝑ eam viam patientis membri situs, humores educendos esse demonstret. Vndè ut exemplo res clarius manifestetur in Iecoris inflammationibus, quæ partẽ cauam infestant, non omnium humorum qui in parte affecta continentur expectanda est concoctio, anteq̃ aliquo modo eos purgemus, sed quando eorum aliqua pars concocta fuerit, tunc leui purgatione, quæ facilè cedentem & concoctam humorum partem attrahat, crudam verò non agitet, humores educi possunt. Hoc Galenus 13. methodi medendi apertissime nos docuit, dicẽs. Nam sicut Iecinoris cauũ per aluũ purgatur vt paulo superius diximus, sic gibba eius per ea quæ modice vrinas mouent, cuius generis est apiũ: procedente verò tempore vbi phlegmone iam concoquitur valentioribus vti licet, asaro, & cæltica nardo, & phu quod vocant, & petroselino & smyrno, & meo, sicut etiam per vẽtrem vacuare si cauum afficiatur cnico cibis ad mixto, & vrtica, & mercuriali, & epithymo, et polypodio, omnibus præterea quę aluum modice deijciũt magisq; in remis-

sionibus tum his ipsis audacius quàm antea vtendum, tum etiam his quæ sunt valentiora partim in ptisana coctis, partim tusis & in mollissimũ puluerem redactis. Exhibẽda verò & hæc sunt, vel ex ptisana, vel ex aqua. Ego etiam filiculæ aliquit in ptinasa aliquando incoxi, & nigri veratri corticem. *Hec Galenus. Ex quibus clarißimè ostendit omnium humorum in aliquibus morbis concoctionem absolutam, non esse ante quascunque purgationes expectandam: sed quandoque partem concoctam purgandam esse: naturæ exemplo ducti, quæ in huiusmodi morbis partim concoquit, partim excernit. Quod maximi alioquin medici non animaduertentes in maximum errorem incurrerunt, credentes omnium humorum quiescentium concoctionẽ expectandam esse, priusquam eos aliquomodo purgatorijs medicamentis tentemus: quibus dicta Galeni sententia apertißime reclamat. Postea autem omnia quæ dicta sunt (vt sciamus quando in principijs morborum purgandum, & quando purgationibus abstinendum,) febrium uehementia & magnitudo maxime considerãda est: ut potè quæ omnium aliarum indicationum ad purgationem prohibendã, potentiã superet. Nã*

siue

siue moueantur humores, siue quiescant, siue tenues, siue crassi sint, magna febre ac vehemētissima ægrotantem molestante, nunq̃ purgãdum. Et propterea vt supra diximus Hip. 4. Apho. parte, præcipit vt in morbis acutis, cùm turgēt humores prima die, vel (vt Galenus ait saltem altera purgemus, priusquam febris vehementia augeatur, quæ deinde purgationem impediet. Nam cùm adest febris vehementia corpus purgationibus nullo modo tentare debemus, ob multas causas, & potissimum propter eam quã in lib. de purgatorijs tetigit Hip. dũ hæc scribit. Quicunque sanè validis febribus corripiuntur his vsq; ad febris remissionem purgatoria medicamēta ne dato, sin id nollis saltem ne sitra quartumdecimum diem. Carnes enim ipsorum, & ventres, medicamentum retrahunt. *Et q̃ deinceps. Cũ enim purgatoria medicamēta idcirco humores attrahant quia ipsis similia sunt (si Hip. & Gal. medicorũ facillimè principibus fides abroganda non est) & ipsis calidiora (hæc enim est vt Gal. 5. de simpliciũ medicamentorũ facultatibus nos docuit, eorũ q̃ se attrahunt ratione similitudinis natura, vt semp̱ calidis minus calidũ ad se trahit) p̱pterea cũ in febribus magnis ac vehemē-*

tibus humores valdè calidi ſint, oportebit purgans medicamentum calidiſsimum eſſe. Quod ſi erit, magis membra & corpus totum calefiet q̃ conueniat: atq; vehementius febris vlterius aucta, in graue diſcrimen ægrotantem perducet. Sin autem purgatorij medicamēti caliditas ab humorum caliditate ſuperetur tantum abeſt ut id humores trahere poſsit, vt contra potius ab humoribus ſcilicet trahatur, atq; ad mēbra vt dicebat Hip. ducatur. At ſi vnum aliud non exceſſerit, ſed in caliditate paria fuerint, nec humores medicamentū, neq; hoc illos ad ſe trahet: multa hoc modo ægrotanti nocumenta accidēt, quæ longum eſſet recenſere, & à propoſito noſtro alienum. Ex quo clariſsimè patet quātopere aberrent qui in magnis ac vehemētibus febribus ægrotantes purgationibus tentare non verentur. Hæc itaq; cū ſic ſe habeant vt oſtenſum eſt, non immerito ſubit mirari cur Auicenna 4. fen 1. canonis, in febrium peſtilentium initijs: (quæ tamen vt ipſemet refert & ei Gal. 9. de ſimplicium medicamantorum facultatibus conſentit interius vrunt & ſi exterius ſæpiſsime placidè videntur) purgationem quando alij humores à ſanguine peccauerint, præcipiat: & potiſsimum cū eo tempore humores crudi ſint, & ſæpe qeſcē-

tes,

tes, & membris impacti. Nisi fortasse dicere velimus Auicennam purgationẽ præcipere reuulsionis gratia, vt videlicet venenosa qualitas à nobilioribus membris retrahatur: atq; ad ea ferri prohibeatur. Verùm quoniam non ignobilis author Cornelius Celsus, cui Paulus quoq; Aeginetta Aetius, Rufus cæteriq́; probatiores medici consentire videntur, minimè vtile esse cẽsuit in pestilenti febre aluũ purgatorijs ducere, propterea satius existimarem Auicennæ sententiã medicorum antiquorum sententijs accõmodare à quibus omnia fermè transumpsit. Quod optime fiet si eius dicta non de purgatione, sed de euacuatione eorum quæ in ventre continentur intelligamus. Nam & Celsus & alij pituitã in vẽtriculo existentem in febribus pestilentibus vomitu educi posse nõ negãt. Quinimmo celsus de pituita in stomacho retẽta hæc inquit. Si pituita in stomacho coijt inclinata iã accessione vomere cogẽdus est. *De hac euacuatione opinor intelligendam esse Auicennæ sententiã non autem de ea quæ purgatorijs madicamentis effici solet: & non de hac sola quæ per vomitum fit, sed de illa atiam cuius meminit Hip. quarto de ratiõe victus, in morbis acutis in febris ardẽtis curatione dum ait.* Quod si amarũ os fue-

rit vomere confert, & ventrem subjuere. Verùm si adhæc non aperiatur lacte asinę cocto purgabis. *Non enim sola pitiuta in ventre collecta educēda est, sed etiā bilis si in eo contineatur: eo nempe modo quem illius sententiæ author nos docuit. Qui in extrahēda bile lacte asinæ vsus est: non purgatorijs medicamētis ob rationem quam Gal. eam sententiam exponens ijs uerbis nobis tradidit.* Quod omnino quidem eam quæ in ventre est bilem euacuare præcipiat, timeat autē purgatoria medicamēta, ꝙ & acria & prorsus calida sint, ob id ad lac asinæ diuertit: vt potè ꝙ nullam vt nō aliud vllum habeat acrimoniā, sed præ omnibus vnum humiditate exuperat, & ob id solum ventrem subit. *Quo fit vt merito dicendum sit Hip. (si eius fuit illa sententia quæ illo digna Gal. visa est) impropriæ purgationis nomen sumpsisse, pro ventris lenitione. De qua verisimile est ipsum quoq; Auicennam locutum fuisse, & non de illa quæ purgatorijs medicamentis consueuit fieri vt grauissimi alioquin viri censent. Verùm Hip. dicta temere intelligenda non sunt (vt multi faciunt) sed ea adhibita distinctione q̄ modus loquendi ipsius nobis indicat. Nam primo in ardentiū febrium*

curatione

curatione clysteribus tentãda est eorum quæ in ventre cõtinentur eductio. Quod si clysteribus venter aperiatur (ut Hip. verbo utar) tunc ab ijs desistendum quæ per os intro sumpta aluum leniunt. Si verò id clysteribus non assequamur, lactæ cocto ut consueuit Hipp. aut lactis sero ut Gal. vel caßia fistula uti nos solemus, venter leniendus est. Nam id Hip. adducta sententia, ac modus loquẽdi quo utitur satis apertè indicat. Ait enim. Quod si os amarum fuerit vomere confert & ventrem subluere. His contentus esset ille si venter aperiretur. *At si non aperiatur vẽter (inquit) ex ijs, lactæ asinæ cocto purgabis. Quod fortè respexit Auicen. 4. canonis in cõmuni febrium putridarum curatione quando dixit, clysteris usum præ cæteris lenientibus aluum, sibi placere: nobis significãs, ut ab eo tanq̃ remedio maximè pficuo in febriũ putridarum curatione cũ aluum lenire intẽdimus, incipiamus. Quod si ad hoc, illud sufficiat, alijs certè corpus molestare non expedit. In qua re quãtopere deficiant medici q̃plures unicuiq; videre licet: cũ in febrium putridarũ curatione etiã ꝙ commodè venter clysteribus & solutionibus leniatur nihilominus caßiam ægrotãtibus semper propinant & ingerendam præbent. Sed*

horum errorem apertius in antiqua medicinæ
Apologia nostra detegemus: idcirco hæc dere-
linquentes ad propositum reuertamur, ac cũ cel
so aliisq; plane bonis authoribus dicamus purga
toria medicamenta in pestilentium febriũ ini-
tiis nullo modo ægrotantibus exhibẽda. Verùm
de venenis quid dicemus? nunquid purgatoriis
medicamentis tentanda? cũ cruda semper sint:
nec aliquo modo multi ex his concoctionem ad-
mittant? Quid dicemus? illud profecto ꝙ Gal. 5.
de simplicium medicamentorum facultatibus
scripsit. Nempe venena purgatoriis medicamẽ-
tis vt purgatoria sunt, non egere sed altero ale-
xipharmacorum genere. Et propterea aliũ mo-
dum euacuationis habent, quàm is sit quo Hip.
in Aph. præcepit, concocta medicamento tentã-
da nõ cruda neq; in principiis. Quod si quandoq;
remediis quæ ad venena scripserũt antiqui pur
gatoria mista reperiantur, ea (vt opinor) ipsis
non tanquam purgatoria medicamenta, sed tã-
quam venenis aduersantia inciderunt. Ex his
itaq; quæ dicta sunt (vt disputationi nostræ tan
dem finem imponamus) clarissimè patere arbi-
tror: quænam fuerit Hip. atq; Gale. de proposita
quæstione sententia: ac quomodo difficultates q̃
nostræ ætatis medicos perturbant, facillime di-

lui

lui poßint. Nam optimi illi midicinæ parentes quando corpora ægrotantium ad purgationes imparata videbant, & potißimum, Si vehemẽs febris vnà aderat, nunquam corpora in morborum principijs nec in alijs ipsorum temporibus purgationibus tentabant. Quod si corporibus ad purgationem paratis occurrissent turgentes humores in principijs morborũ vtique purgassent: similiter & fluentes & paratos fluere ad determinatum membrum fluxionis periculosæ sistendæ ac minorandæ gratia. At quiescentes, ac membris impactos humores in morborum initiis optimi illi medici nunquam purgationibus tentarunt. Quæ omnia ex variis eorum sententiis si in vnum conferantur manifestißime apparent. Hæc sunt optimi veritatis cultores quæ de proposita sententia post longum examen tandem assequi mihi cõcessum est. Quæ si vera sunt Deo Opt. Max. bonorum omniũ donatori gratiæ reddantur, qui nobis veritatem demonstrauit. Si verò à recta veritatis via ea aberrare uobis videantur, vos omnes rogo atq; obsecro vt æquo animo illa castigetis: vt errorem meum cognoscens meipsum aliquando corrigam, & ad meliora perquirenda me accingam.

TRACTATVS
De Cœna et prandio.



VM Ab antiquis medicis, & imprimis ab Hippocrate & Galeno apertiſsime receptum ſit cœnā prandio vberiorem eſſe oportere, ſolidioreſq́ in ea cibos eſſe capiendos, propterea medicorum quorundam audaciā non ſatis mirari queo, qui affirmare nō verentur, longè ſalubrius eſſe, maiorem ciborum partem atq́ ſolidiorem in prandio ſumere, minorē verò, eamq́ concoctu faciliorem in cœna. Quæ tamen conſuetudo ab optimis illis medicinæ parentibus (vt potè mortalibus valdè nocua) ſemper deteſtata fuit. Verùm ne hæc ex mea potius ſententia, quàm ex rei veritate dicere videar, antiquorum decreta, quibus ea manifeſtiſsime comprobari poſſunt, hîc inſerere decreui: ex quibus luce clarius fiet, cœnam iuxta eorum opinionem prandio vberiorem eſſe oportere, atq́ in ea ſolidiores cibos omnino eſſe capiēdos. Sed priuſquam ad rem ipſam deuenio: præſtātiſsimorum alioquin medicorum ſententia paucis refutanda eſt, qui arbitrantur cœnæ ac prandij nomen aliud Hip. ac Gal. ſignificaſſe quàm nobis ſignificet: ac negant prandium apud eos fuiſſe cibum

qui mane assumeretur: cœnam uerò qui vesperi. Aduersus quos & si sexcenta (vt ita dicã) Hip. & Gal. loca adducere possum: vnum tamen sõlũmodo (ne in re planè manifestißima diutius quam par est morer) ex 2. de ratione victus in morbis acutis in medium afferam. Hip. itaq; docens curare læsiones, quæ illis accidunt, qui præter consuetudinem prandent, hæc scribit. Conuenit autem his ꝑmutationem æqua virtute compensare. Dormire siquidem eos oportet, tanquam noctem à cœna hyeme quidem citra frigus, æstate verò citra calorem agant. Quod si dormire nequeant, plures lente ambulando absoluant circuitus, neq; stent, nihil cœnent, aut pauca & innocua, minus præterea bibant, sed meracius, & non dilucius. *Quam sententiã explicans Gal. tam apertè hos ostendit à recta veritatis via alienos, ut de hoc nemo ulterius dubitare poßit. Inquit enim.* Maximè quidẽ is dormire eos plurimum iubet. Etsi dormire nequeunt, plures lenta ambulatione absoluant circuitus: idq; vt quamplurimi expositorum aiunt post cœnam: sed vt eorum q̃ dicuntur sensus pręcipit post prandium. Nam oratio hæc tanquam noctem

agant de ſomno meridiano nõ de nocturno dici expoſtulat. Præterea quod continuata ſcriptum eſt ſerie vbi inquit. Si verò dormire nequeant plures lente ambulando abſoluant circuitus, neq; ſtent, nihil prȩterea cœnent vel pauca & innocua. Teſtatur Hip. velle eos à prãdio dormire non à cœna. Duorum igitur alterum, aut emendanda eſt tanquã errati conſcia ſcriptio atq; ita ſcribendum. Dormire ſiquidem eos oportet poſt prandium tãquam noctem agant, hyeme quidem citra frigus: æſtate verò citra calorem, vel ſi ſeruare volumus orationem hanc, à cœna, intelligenda eſt, hoc pacto dictio. Dormire ſiquidem eos oportet vt à cœna ante dormiebant, ſic & nunc poſt prandium tanq̃ noctem agant *Ex hac Hip. ac Gale. ſententia certiſsimum eſt, eos prandium vocaſſe cibũ mane: cœnam verò veſperi ſumptum: ſicut etiã nos ſoliti ſumus ea appellare. At quia de nominibus laborare, (vt Gal. ait) eſt operam ludere, idcirco, prandij ac cœnæ nomine omiſſo, illud ad examen reuocemus: nũquid ex Priſcorum medicorum decretis vberius edere mane ſolidioresq́; cibos capere, an veſperi conueniat. Quod quidem*

optime

optime explicare poterimus, si prius aperiamus quomodo in animalium corporibus recta alimẽti dispensatio procedat. Ex hoc enim præpositæ quæstionis dissolutio ac rei veritas facillime nobis manifestabitur. Omnibus itaq; propemodũ animalis partibus, vt tertio facultatum naturalium nos docuit Galenus, insitum quoddã est natura desiderium, ac veluti appetentia conuenientis sibi qualitatis, & quædam auersio ac veluti odium aliene. Illud quidem sequitur conuenientis rei attractio, hoc vero aliene repulsio. Verũ cum omne quod aliquid natura attrahit, id non frustra ad se trahat, sed vsus alicuius gratia, idcirco animalium membra conuenientem sibi qualitatem attrahunt, vt ea fruantur. At id facere nequeunt nisi eam retineant. Facultatem itaq; retinẽdi membra habere necessum est. Sed si expetunt, & trahunt, & retinendo ac vndiq; constringẽdo fruuntur, esse vtiq; debet etiã finis fruitionis. Porro is finis est, vt eius quod in qualitate conuenit, atq; consentit partem aliq̃ capiant, & in sui substãtiam transmutent. Hæc omnibus propemodũ animalis partibus insunt. At præter ea ventriculo & maxime eius partibus quæ ad orificiũ pertinent, vt quarto de vsu partium corporis humani Gal. asserit, peculiaris

quidam sensus indigentiæ & inanitionis ab ipsa natura datus est, quo ad cibum capiendum excitatur. Eo autem assumpto deinde ipsum cõplectitur, ac vndique cõstringit: idq; non alia sanè de causa quàm vt illo fruatur, eiusq; partem in sui substantiam conuertat. Verum cum cibo non tanta cum ventriculo intercedat familiaritas, vt statim in eius substantiam conuerti possit, ob id & panis (exempli causa) & lactuca, & beta, & cæteri cibi prius alterari postulant, quàm eorum aliqua pars in ventriculi substantiã trãsmutari queat. In eo igitur ciborũ cõplexu innatus vẽtriculi calor eos in minimas partes cõminuit, ipsisq; qualitatem quandam præbet, qua apti reddũtur vt animal nutrire possint. Quod quidem vt Gal. 3. facultatum naturalium testis est, vere ciborum concoctio appellatur. Ea actione perfecta, cibisq; concoctis, ventriculus partẽ sibi maximè conuenientem, & necessariam pro sui alimẽto, paulatim & halitus specie attrahit eamq; in tunicis suis reponit: aliam uero tanquã onus ipsum grauans, abÿcit ac deorsum trudit. Quam intestina recipiũt, eaq; fruuntur & illius partem sibi ipsis apponunt. In transitu vero per ipsa magna alimentorum pars per vasa quæ ad ea pertinent, à Iecore rapitur. Qua attracta, id

quoq;

quoq; illa fruitur, ipsam vlterius alterat, & partem ei necessariā vt possit ali, omnibus suis particulis apponit. Interim ventriculus non vacat sed q̄ prius sibi apposuerat id agglutinat. Post appositionem enim necessaria est (vt primo facultatum naturalium sentit Gal.) quadam alimentorum agglutinatio. At postquam Iecur (ut ad id reuertamur) partem sibi necessariam in particulis suis reposuit, quod reliquum est à se expellit. Id per membra distribuitur, q̄ ad se trahunt, in seipsis reponunt agglutinant, & in propriam substantiam transmutant. Verùm dum membra alimentū attrahunt, ipsoq́; fruuntur: Iecur sibi prius appositum agglutinat: & ventriculus tunicis suis iam affixum in propriam substantiam conuertit. Omnem itaq; (maioris perspicuitatis gratia) naturæ circa nutrimentū operam in tria tempora (vt Gal. præcipit) cogitatione partiamur. Atq; in primo imaginemur cibum à ventriculo trahi, ab eoq́; cōcoqui, tum ipsi ad saturitatem apponi, aliquid verò eius ad iecur etiam ascendere. In secundo verò, cogitemus eum ad intestina trāsire: & ad iecur trahi: ab illoq́; etiā contineri, concoqui, & in eius particulis reponi. Hoc tempore, quo hæc in Iecore fiunt, in vētriculo pars illa alimenti quæ tuni-

cis eius prius apposita fuerat, ipsis egglutinatur. Duo hæc tempora, tertium tempus excipit, quo, id quod à Iecore reÿcitur per membra distribuitur, ab hisq; attrahitur, continetur & in singulis eorum partibus reponitur. Eo tempore, quod Iecori appositum fuerat ipsi affigitur: quod uerò ventriculo agglutinatum, in eius substantiam conuertitur. Et postea noui alimenti tempus aduenit, Quod si animal assumat, quo tempore id ventriculus recipit, continet, & quicquid utile ipsi, in tunicis suis reponit, eodem, Iecur partibus suis iam affixum, in propriam substantiam conuerit: cætera vero membra sibi appositũ agglutinant. Quo autẽm tempore ventriculus nouum agglutinat alimentum, eodem Iecur, illud attrahit cõtinet, & suis particulis apponit, alia vero membra ipsis prius affixum transmutant. Et postremo quando ventriculus nouum quod ipsi prius affixum fuerat trãsmutat, tunc Iecur sibi appositum agglutinat, & reliqua mẽbra illud ad se trahunt, continent, & in se ipsis reponunt. Quo maximè tempore animalia exercitare expedit, vt post exercitia commodè iterum cibos assummant. Hoc modo recta alimenti dispẽsatio procedit. Quam si diligenti examine perpendamus illud proculdubio nobis constabit: q

scilicet

ſcilicet ſi incolumem vitam degere velimus, id obſeruare debemus, vt eam ciborum quantitatem capiamus quæ priuſquam noui alimenti tẽpus adueniat à ventriculo, & Iecore concocta ſit & ꝑ corpus digeſta, ac in mẽbris repoſita. Quod eo tẽpore accidit quo ventriculus ciborũ partẽ tunicis ſuis affixam tranſmutauit, ac vacuus puruſq; remanſit. Cũ itaq; hæc ſic ſe habeant (vt ad rem tandẽ deueniamus) cumq́; inter cibũ matutinum & veſpertinum tantum temporis interponi nequeat, vt ea naturæ opera quæ dicta ſunt, abſoluantur: neq; vẽtriculus ſi is mane repletus fuerit, vacuus & purus veſpertinum cibum recipiat: propterea cibos concoctu faciliores, & paucos mane edere debemus: vt celerrime, tum in ventriculo, tũ in Iecore concoquantur: eorumq́; excrementa citiſsime deſcendant: & vacuus puruſq́; ventriculus eo tempore ſit, quo veſpertinos cibos ingerere volumus. Quos & plures & ſolidiores eſſe hac etiã ratione opus eſt, ꝙ ſcilicet inter eos & matutinum cibum longius tẽpus interponitur, in quo poſſunt (etiam ꝙ ventriculus tunc repleatur) omnes illæ naturæ actiones perfici. Accedit ad hoc ꝙ cibos illos quies ſequitur & ſomnus, quæ ad bonam concoctionem in vẽtre & Iecore potiſsimum ꝑficien

dam, maximè conferunt. Quod respiciens Gal. 7. met. med. refectoriã victus rationẽ, ijs q valdè extenuati sunt cõuenientẽ, docẽs: hæc scribit. Quippe quod in superioribus suasimus, cum valentius alimentum vesperi exhibẽdum censuimus, id semper obseruare studebimus: vtiq; non leue percepturis commodum ijs, qui ita cibãtur. Et paulo inferius. Ergo tantam exhiberi primam cibationem est rationabile, quanta priusquã secunda sumatur tota prorsus erit concocta. Id cõtingere valentiori alimento non potest. Quare primo loco leue sumendũ his est: quo videlicet & cõcoquatur celerrime, & excrementum eius descendat, & vacuus purusq; ventriculus secundum excipiat. At quoniã nõ solũ quies & somnus sed etiam longius tempus huius naturalẽ administrationem excipit, ratio est vt valentiores ciborum hoc maxime tempore offerantur. Itaq; etiam athletæ id faciunt, qui eum vsum non solũ ratione inuenerunt: sed etiam longa experientia cõprobarunt. *At non immerito quispiã fortasse quæret. Quam ob causam cibus vespertinus quoniã eum sequitur quies & somnus vberior matutino*

no esse debet? Quam ob causam? Nempe quia inquiete & somno meliores concoctiones fiunt quam in motu & vigiliis: ob id quando corpus moueri necessarium est, aut vigilare, minus viscera repleta esse expedit: cum vero quiescendũ & dormiendum magis: quoniam optime tunc in visceribus res concoquũtur. Nam eo tempore quo animalis facultas (facultatem animalem intelligo, quæ est principium sensus & motus secũdũ electionem) est in opere: naturalis, altrixq́; imbecilliter operatur: & contra, ea scilicet quiescente hæc maxime munere suo fungitur. Cum igitur in animalium quiete animalis facultas ocietur, idcirco altricem eo tempore maxime operari dicendũ est. Ergo & validissime concoquere. Quo factum est vt Hip. quarto de ratione victus in morbis acutis (dum docet quomodo humores bene concoqui possint) præceperit vt corpus quiescere permitamus, Quod Gal. explicãs, hoc alimentorum quoq; concoctioni valde conferre, iis verbis nos docuit. Natura igitur assumpto in ventrem deuoratoq́; alimento, à cæteris quidem motionibus cessare debet, vt soli quod concoquendis cibis deputatum sit operi vacet. *Magis ergo ventres repleri debẽt quando corpus post assumptum cibum quiescere*

quam

quam quando moueri oportet: cum eo tempore naturalis facultas melius operetur & cõcoquat. Similiter quando animal dormit copiosiora alimenta in visceribus id cõtinere opere precium est, quàm eo tempore quo vigilat. Cùm enim calor innatus, in somno interiora petat in visceribusq; maxime augeasur: contra vero in vigilijs extra feratur, in extremísque partibus vigeat: quis quæso vnquam inficias eat in sumnò meliores concoctiones fieri quàm in vigilijs. Quod cum sit: plurimo itaq; alimento in somno egent. Qua ratione ipse quoq; Hip. motus, prima Apho. parte hanc sententiam scripsit. Ventres hyeme & Vere natura calidissimi, & somni longissimi: quare per ea tempora alimeatn copiosiora sunt exhibenda Etenim tũc calor innatus plurimus est: vnde & pluribus egent alimentis Indicio sunt ætates et athletæ. *Si hæc Hip. ratio vere ostendit, hyeme ventres copiosiora alimenta postulare, quã æstate: ea etiam demonstrabit ventres in somno pluribus alimentis egere, quàm vigilijs. Nam vna ex causis, quas affert Hip, cur hyeme magis quàm æstate ventres pluribus alimentis egeant, est somniũ longitudo. At si magis in vigilijs (vt isti opinantur) ventres replere melius est quàm*

in somno, profecto non quo tempore somni longissimi, copiosiora alimenta essent sumenda, sed cõtra potius, eo nempe tempore quo vigiliæ somnos exedunt: q̀ æstatis tempore accidit. Hip. itaque in præposito Aph. deceptionem eam cõmisisset quam Aristoteles 1. Sophisticorum elenchorum, deceptionem non causæ vt causa appellare consueuit. Accedit ad hoc q̀ sententia illa, paucis mutatis, somno optime accommodari potest, idq; de ipso demonstrare, q̀ ab Hip. de hyeme & vere ostensum est. Nam si loco dictionis (hyeme & vere) dictionem hanc (in somno) Aph. adaptemus, vera etiam eius sententia talis erit. Ventres in somno natura calidissimi. Quare per id tempus alimenta copiosiora sunt exhibenda. Etenim tunc calor innatus plurimus est: vnde & pluribus egẽt alimentis. Indicio sunt æstates & athletæ. Verùm qui aliter quàm nos sentiunt, nostram hanc sententiam ab Hip. Aphor. longè differre contendent: nullamq; esse conuenientiã inter somnum & hyemem asseuerabunt, ut qua ratione ab Hip. scriptum est, ventres hyeme plurimis alimentis egere, eadem, dicere valeamus idem ipsis in somno contingere. At boni viri q̃-nam causam tradidit Hip. qua hyeme ventres plurimis alimentis egere comprobetur? Nullam

certè aliam quàm hæc: quia videlicet calor innatus interiora tunc petens, & in profundum secedēs, calidiora viscera efficit, & propterea validis alimenta concoquere possunt, q̄ æstate: in quo calor innatus ad exteriora fertur, vētresq; frigidiores remanent. Sed nonne hoc idē in somno & vigilijs euenit? Nonne calor in somno interiora, in vigiliis verò exteriora petit? Hoc tā apertè ab Hip. 6. de vulgaribus morbis parte 4. concessum est, vt nihil clarius dici aut excogitari poßit. Euidenter (enim ait) vigilans calidior exterius: interius autem frigidior dormiēs contrario, calidior videlicet interius: exterius verò frigidior: cui experiētia quoq; attestari videtur. Nam vt eam sententiam exponens Gal. inquit. Dormientes tum pluribus stragulis, vestibus, & capitis egent tegumento, si frigidus vt hyberno tempore quo circū funditur aër sit. Atqui interdiu vigilātes hæc non requirunt. *Quinetiam maior inspiratio plus caloris in penetralibus corporis collectum esset testatur. Sicut itaq; innatus calor hyeme ad interiora vergit, æstate verò ad exteriora, ita in somno interiora petit, exteriora verò in vigilijs. Quamobrē in somno pariter & hyeme ventres calidiores esse, æstate verò & in vigilijs*

giliis frigidiores necessum est. Quemadmodum ergo imbecillior est concoctio æstate quàm hyeme, & propterea tunc ventres minus replere expedit, ita & in vigiliis ventres imbecillius concoquere dicendum est, quàm in somno. Quo fit vt eo tempore minus etiam repleri debeant quàm eo, quo somnus iam instat. Quod idem quoque Gal. 4. parte sexti de vulgaribus morbis vbi sententiam Hip. dicens. A qua edax vigilia edax, *exponit nos docuit hunc in modum scribens.* De hac etenim olim sicut & de somno notitiã habuistis. Concoquit planè somnus vt potè calido tunc interiora petente: dissipat vigilia insito calido dum exterius emicat secũ haud exiguas corporeæ substantiæ particulas educente. *Igitur propterea aqua & vigilia edaces dictæ sunt. Hoc idem 5. eiusdem lib. parte nobis indicauit, hæc dicens.* Num igitur satius fortasse est hoc modo legere (labor articulis & carnibus) deinde ab alio principio (cibus & somnus visceribus) vt oratio eiusmodi sit. Exercitatio quidem articulis & carnibus vtilitatem præbet, cibus verò & somnus visceribus. Naturali enim calido in profundum vergente vt ipse tradidit & escarum concoctiones meliores

fiunt: & tunc viſcera nutriuntur. At in vigilia naturali calore ad cutem profuſo viſcera ſe ipſis frigidiora euadunt, & quæ ipſis in ſomnis inerant hæc extremis omnibuſq; extrinſecis membris in vigilia. *Quid clarius dici, aut excogitari poteſt? Igitur ſomno cum hyeme conuenit q in vtriſq; calor innatus interiora petens, calidiora viſcera reddit, & validiora ad concoctiones perficiendas: contra verò æſtate & in vigilijs. At id cauſa eſt, vt hyeme validiora alimenta ſumere debeamus, vberiuſq; edere q̃ æſtate, vt Hip. dicebat: hæc itaque cauſa quoq; iure optimo dici debet, vt cibos vberius veſperi capiamus, ventreſq; magis repleamus, accedente ſomno, q̃ mane inſtantibus vigilijs. Hanc ſomni ad hyemem proportionem 6. de vulgaribus morbis parte quarta nobis declarat Gal. in iam adductæ ſententiæ expoſitione, quæ talis erat.* Euidenter vigilãs calidior exterius, interius autem frigidior, & contra, *dum inquit.* Et concoctiones in dormientibus efficacius quàm in vigilantibus fieri non ſolùm in ventriculo comeſtorum ciborum, verùm etiam humorum in Iecore & venis corporis, abditas ſedes in dormientibus calidiores effici ſignum eſt: cũ

à nobis

à nobis concessum & supra ostensum sit, omnium in corpore concoctionum ingenitũ calorem præcipuum esse opificem. *Ita sanè & in libris Aph. memoriæ prodidit de ætatibus, tẽporibus, exercitationibusq́ vbi habet.* Ventres hyeme & vere natura calidissimi sunt & somni longissimi. His igitur temporibus plura alimenta danda sunt: siquidem insitus calor multus: pluri ergo indiget esca. Iudicio sunt ætates & athletæ. *In hisce quidem verbis breuiter de ætatibus locutus est: in altero Aphor. latius atq; ideo clarius, ita inquiens.* Crescentia corpora plurimum habent insiti calidi, plurimum igitur requirunt alimentum. Sin minus corpus digeritur, senibus verò exiguus calor inest, idcirco paucis fomentis egent. Secũdum ætates quidem haud intro forasq́ue ingenito calore migrante, sed temporis progressu senilis ætas omnium frigidissima efficitur. At hyeme calore ad penitiora se condente, ventriculus quidem, & reliqua viscera calidiora, subcutaneæ verò partes frigidiores redduntur. *Et quæ deinceps. Ex quibus mehercle verbis vnicuique in promptu est videre ꝙ hyemi proportione hæc*

respondēt corpora nempe quæ crescunt, quæ exercitātur & somnus. Nam sicut in hyeme quia calor innatus plurimus est, propterea plurimo alimento viscera egent, ita & corpora quæ crescunt, & quæ exercitantur ob innati caloris abūdantiam plurimum postulant alimentum. At si hæc ita sa habent id longè magis de somno dicendum, qui hyeme maximè aßimilatur: cùm in eo quemadmodum etiam in hyeme calor ad interiora secedat, & propterea viscera calidiora reddantur. Quod de ætatibus & athletis dicēdum non est, vt præposita Gal. sententia, satis apertè indicat. Verùm (vt intelligo) ex opposite partis fautoribus quāplures sunt, qui & si his & similibus rationibus manus præbent: & fatentur vel inuiti salubrius esse cum animal incolume degit, vesperi copiosiora ipsi alimenta præbere quàm manè, per horti tamē posticum (ut aiunt) subterfugere conantur: dicentes hoc in ijs qui à grauedine & catarrho tenentur minimè verū esse. Quod quidem satis apparente ratione (falsa tamen) ostendere nituntur. Atq; imprimis (inquiunt) cum grauedines & catarrhi nocte maximè vigeant, idcirco eorum qui ab eiusmodi morbis molestātur modicus esse debet cibus vespertinus, quem nox sequitur. Accedit ad hoc
quod

quod in ſomno maximè vapores ad caput deferuntur, ex quibus grauedines & catarrhi magnopere generãtur: veſperi itaq; moderatè ventres replere expedit ne uaporum tanta copia ad caput aſcendat, quanta à multitudine ciborum eleuari ſolet. At ſi matutinus cibus vberior ſumatur, grauedine & catarrho laborantibus nihil aut parum incommodi hoc afferet, cũ illum ſequãtur vigiliæ: in quibus morbi illi, minus infenſi ſunt: ac pauciores vapores caput petunt q̃ in ſomno. Sed (eorum pace dictum ſit) ab ipſa ueritate ſunt alieniſſimi. Nam primo cum hyeme pituita catarrhi & grauedines maximè uigeãt, cur itaq; Hip. (ne à præpoſito Apho. recedamus) præcipit vt eo tempore magis q̃ æſtate ventres repleantur? Huic quæſtioni ſi aliquam adducãt hi, ſolutionem eadem & nos ipſorum obiecta diluemus. At quam aliam meliorem afferre poterunt, illa quam Gal. 1. de natura humana nobis tradidit? Eã itaq; in mediũ adducamus vt q̃tũ hi ab eius mente deficiãt clariſſimè pateat. Gal. igitur quandã ſententiã Hip. explicans hæc eſt. Ineunte hyeme bilis: quia iam refrigeſcit decreſcit, & pituita de integro augetur tum à frequentibus pluuijs, tũ ab noctiũ longitudine. *Quærit quomodo pituita, quæ*

frigida & humida est, non tēperata veluti sanguis, dicatur in hyeme augeri: cū ea sententia in Aph. scripta sit. Ventres hyeme & vere natura calidissimi & somni longissimi. His igitur temporibus alimenta copiosiora sunt exhibenda. Etenim calor innatus multus est: nutrimentum ergo plenius requirit indicio sunt ætates & athletæ. Et rursus alia quæ ait. Aestate & autūno cibos difficillime ferunt: hyeme verò facillime, medium locū ver habet. *Si alimentū melius hyeme q̄ aliis tēporibus cōcoquitur quoniam vētres calidiores: cōuenire itaq; videtur vt sanguis potius q̄ pituita augeatur: aut si hæc magis eo tpe crescit, minor utiq; ciborū copia tūc esset sumēda. Quo igitur modo scrupulus hic explicabitur? Huic q̄stioni satisfaciēs Gal. hæc ait.* Dicam quod sentio. Sunt quidem calidissimi hyeme naturali calore vētriculi, hoc est, tempatissimi, sed corporis partes è diuerso refrigerātur hyeme ipseq; adeò venter quibusdam, aut ex itinere, aut ob vestium inopiam, aut eiuscemodi quippiam. Omnis igitur ambientis aëris frigiditas in corpus penitissime se insinuat: quibusdā verò ad ventris vsq; regionem penetrat,

vt

vt dictum eſt. Itaq; vt perfecti rectè ſint in ventriculo ſumpti cibi, in lecore certe dũ mutantur nõ abſolutam aſſequuntur ſanguificationis (vt ſic dicam) cultum. Sed aliqua in eo offenſa exiſtit. Quo minus totius corporis venæ mutant illos refrigeratę. Huc accedit ciborum multitudo qui hyeme ſumuntur: quibus qualitates quoque ſunt pituitoſiores. *Et quæ deinceps. Ex quibus proculdubio conſtat hyeme pituitam potius augeri in extimis corporis partibus q̃ intimis: & ex indebito potius regimine in 6. rebus, quas nõ naturales appellant q̃ temporis ratione, quo profecto tempore vt 1. Aph. parte dicit Gale. & cõcoctiones & ſanguificationes, & nutritiones meliores fiunt q̃ aliјs temporibus. At cũ nox (vt ad propoſitum redeamus) hyemi proportione reſpondeat eodẽ Gal. 1. in 6. de vulg morbis cõmentario teſtãte: propterea pituita catarrhi grauedines & ſimilia nõ noctis ratione augebuntur: ſed eadẽ qua Gal. dicebat hæc hyeme maximè fieri, nẽpe ob veſtiũ inopiã, qbus occurere vehemẽti aëris frigiditati neqmus: ne exteriores partes valdè refrigeret: aut ob pituitoſi vaporiſq; alicuius cibi eſum aut uitæ genus aut eiuſmodi qppiam. At ſi aëris ambientis vehemẽti frigidita-*

ti occurramus, ciboſq́ edamus qui nullo modo aut parum ſint (vt ſic dicam) vaporoſi, & eorũ eſum (moderata interpoſita vigilia) ſequatur ſomnus: qua tunc ratione magis nocte quàm die grauedines & catarrhi generabũtur? Quia (inquiunt ij) ex maiori ciborum quantitate veſperi ſumpta, maior quoq́ vaporum copia ad caput feretur in ſomno, quàm ſi in vigilijs eadem ſumpta fuerit. Sed ſi hoc ipſis non admiſerimus qua nam ratione id vnquam probabunt? certe nulla cùm eius rei nulla probabilis ratio afferre poſſit. Nam cùm in ſomno optimè concoctiones procedant: in vigilijs verò imperfectiores ſint vt ſupra oſtenſum eſt: ob id ſi æcaliter, ne dicã magis ventres in uigilijs et in ſomno repleantur, eaq́ in ipſis continebuntur dum animal vigilabit, imperfectè concoquantur & cruda remanebũt. Ex cruditatibus verò maximè caput repleri: & ijs quidem vaporibus ex quibus facillime catarrhi & grauedines generantur, quis dubitare poteſt? cum ab omnibus planè bonis medicinæ authoribus id apertiſſimè cõceſſum ſit? Accedit ad hoc quod vapores ſi qui ad caput ferãtur in ſomno, melius ab eius virtute naturali concoqui poterunt, quàm illi qui in vigilijs illud petent. Nã vt dictum eſt, quieſcente virtute enimali, naturalis


turalis melius operari suoq; munere fungi potest quã eo tempore quo illa est in opere. Quinimmo vt primo de symptomatum causis declarat Gal. conuenire videtur, vt post vigilias cerebrũ moderata humiditate ciborum repleatur. Nã id in multo negotio fatigatum, et siccatum ea procul dubio indiget. Cũ verò animal vigilare oportet ea non opus est humiditate. Propterea modica ciborum quãtitas tunc sumi debet: ne illa humiditate cerebrum repleatur quando minimè expedit. eoq; tẽpore quo naturalis facultas ab animalis opere impedita, imbecillime operari, ac cõcoquere potest. Quo fit ut cruda in cerebro remanens, tãdem accedente aëre noctis frigido, in catarrhũ & grauedinem cõuertatur. Quod multis imponit, credẽtibus ob noturnũ cibũ ea prouenire. Maior itaq; ciborũ copia in animalibus etiã quæ à catarrho & grauedine affliguntur, vesperi cõuenit quàm mane. Cauendum tamen est, ne eorum ventres immodicè vesperi quoque repleamus, eosq; cibos ipsis exhibeamus, q̃ ex sui natura caput tentant: q̃bus & catarrhi & grauedines, & cæteri capitis morbi plurimum augeri solent: non autem à maiore ciborũ copia vesperi magis quã mane sumpta, modo illa nõ immoderata sit. Nã siue mane, siue uesperi nimium

ventres repleamus, his pfecto maximè officiet qui dictis morbis laborant. Ex hoc enim caput nimiũ repleri certißimum est. Quod respiciens Gal. in documẽto p puero morbo comitiali laborãte immodicas ventris repletiones uetuit, maiorem tamen ciborũ partẽ solidioremq; in cœna exhibendã præcipit. Ait enim. Post hæc aũt ad prandiũ eat & prius quippiã ex his q̃ ventrem molliunt assumat, vel holus, vel salsamentũ, vel ptisanã, vel oliuas, cũ tertia panis parte: reliquas verò duas in cœnæ tẽpus seponat, cũ valentioribus obsonijs. *Si in hoc morbo, in quo nõ minus q̃ in grauedine & catarrho timendæ sunt euaporationes ad caput (quas isti nocte & in somno fieri dicũt) Gal. vberiorem cœnã prãdio p̃cipit, cur itaq; nos hoc in catarrho & grauedine uerebimur? Cur in ijs morbis minorẽ ciborũ copiam vesperi exhibebimus q̃ mane? Certè nimia ventris repletio & mane & vesperi fugienda est, vt concoctiones rectius pcedant, minor tamẽ ciborũ quantitas, & cõcoctu facilior mane sumenda, vt Gal. dicebat. Hæc itaq; cũ sic se habeãt iure optimo Auicẽnæ sententia 1. fen 3. canonis est castiganda: q̃ in epilepsiæ curatione ab eo scripta est.* Et ille (*inquit*) cuius cõsuetudo nõ tolleratvt semel

reficiatur

reficiatur diuidat cibũ suum q sit minus saturitate in tres partes. *Hucusq; fortasse sententia Auicennæ rectè se habet, & Gal. decretis consentit. Sed quod sequitur Gal. penitus aduersatur: ait enim.* Et sumat duas tertias in prandio, & tertiã eius in cœna. *Mirũ pfecto esset Auicen. tam apertè à Gal. dissentire absq; eo quod illius nullo modo meminerit à quo totã eã sententiam transumpsisse videtur. Meo itaq; piculo iurarẽ, aut Auicen. malè illa verba ex eo documento transtulisse, aut praue ab ijs q Auicen. latinitate donarũt fuisse interpretata. Verũ quomodocunq; res se habeat à medicorũ principe Gal. (vt ipsiusmet Auicen. verbis vtar) ipsaq; veritate recedere nõ debemus: sed id tanq̃ verissimũ affirmare, longè videlicet salubrius esse, uesperi plura ac validiora alimẽta sumere q̃ manè. Qđ cũ ita sit, tũ etiã amplitudinem hortarer vt cõsuetudine illa (q̃ ei summopere officit) derelicta meliorem cõplectatur. Id tamen illico faciendũ & repẽtè nõ existimo, sed paulatim. Repentinæ enim cõsuetudinũ mutationes, semp praue siunt. Quod Deus Op. Max. nobis cõcedere dignetur.*

FINIS.


B747